



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXIX. De Iudice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

SECTIO QUARTA.
DE INIURIIS
IN IUDICIIS.



EQVITVR *ut dicamus de iniuriis, quæ in Iudiciis committi solent. In quibus tres personæ spectantur, Iudex, Accusator, & Reus: accusatori iungitur testis, reo aduocatus. Itaque hanc sectionem diuidemus in tria capita: Primum erit de Iudice. Secundum, de accusatore & teste. Tertium, de reo & aduocato.*

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

De Iudice.

Constat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Virum Iudicium sit actus Iustitiæ.

D. Thomas q. 60. art. 1.

¹
Iudicium
quid.



NOTANDVM est, nomen *Iudicij* potissimum duobus modis accipi. Primò, Generatim, pro sententia animi vera vel falsa, de qua cumque re ea sit. sic distinguitur contra *apprehensionem* nudam, in qua non est veritas vel falsitas. nec per se est actus virtutis, sed potentia intellectiua, componentis, vel diuidentis suos conceptus.

² Secundò, Strictè, pro determinatione Iuris, facta per Iudicem, id est, pro sententia Iudicis externus prolata, qua in controuersis contractuum, delictorum, alijve Iuris questionibus definit quid cui sit debitum; hoc enim propriè vocatur *Iudicium*, quasi *Iuris dictio*. Hinc extenditur ad significandum totum illum actum & causæ discussionem, quæ in tribunalibus fieri solet, per quam Iudex disponitur, ut iustam sententiam ferre possit.

³ Hoc modo est quidem actus elicited à scientia Iuris; tamen est etiam actus iustitiæ, idque duplici ratione. Primò, Tamquam causæ dispositiua; quia iustitiæ affectus inclinatur Iudicem ut velit sententiam iustam ferre, ac proinde incitat eum, ut quam diligentissimè causam examinet; deinde occulta quadam consensione facit, ut ea quæ iusta sunt, etiam iusta illi videantur. quisque enim iudicat secundum suos affectus. affectus enim facit, ut res intellectui videatur conueniens & amplectenda. Itaque affectus iustitiæ facit, ut id quod iustum est, intellectui Iudicis appareat bonum & amplectendum. Simili modo affectus temperantiæ facit opera temperata videri pulchra, & conuenientia homini; & fortitudo, opera fortia, siue illa exterius cernantur, siue sola imaginatione comprehendantur. Iuxta hunc modum, rectum iudicium de obiecto vel opere cuiusque virtutis

procedere dicitur ex eadem virtute. vide supra lib. 1. cap. 1. dub. 4.

Secundò, Est actus iustitiæ, tamquam causæ præcipientis & obligantis; iustitia enim imperat actum iudicij, & Iudicem ad eum obligat, sicut debitorem obligat ad solutionem debiti: quia ex officio debet hoc partibus; idè enim stipendia accipit. hoc modo iudicium propriè ad iustitiam pertinet, ut quoddam obiectum iustitiæ, & actus externus necessarius, sine quo iustitia in Iudice esse nequit; sicut reddere cuique suum, est actus iustitiæ in genere.

DVBITATIO II.

Vtrum iudicium temerarium, sit peccatum mortiferum.

D. Thomas quest. 60. art. 3.

NOTANDUM est Primò, *Iudicium temerarium*, dicitur, quod de alicuius peccato, aliòve infami malo ex leuibus iudiciis concipitur. quod enim ex iustis seu sufficientibus causis concipitur, non est temerarium, sed rationi consonum. ut si iudices aliquem impurum, quod in tenebris sæpius eum videris loca impura frequentantem; si hæreticum, quod Mistæ sacrificium rideat; si iniustum, quod vfuras exigit. Fit autem hoc iudicium vel de internis, vel de externis, quorum auctor est occultus; vel de futuris, ut hunc fore furem, vel numquam emendandum, ut colligitur ex D. Augustino l. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 28. & S. Basilio in Regul. breuior. interrog. 164.

Notandum Secundò, D. Thomam distinguere tres gradus suspicionis, vel iudicij temerarij.

Primus est, *Cum homo ex leuibus iudiciis de bonitate alicuius dubitare incipit.* Tres gradus suspicionis.

Secundus est, *Cum pro certo malitiam alterius æstimat ex leuibus iudiciis.*

Tertius

Tertius est, *Cum aliquis Iudex ex suspitione procedit ad aliquem condemnandum*, ubi rectè Caietanus sub primo gradu comprehendit etiam *opinionem*, quia D. Thomas ex Cicerone vult, *suspicionem esse opinionem mali, ex leuibus indicis conceptam*. Propriè tamen *opinio* & *suspicio* differunt.

Possunt poni quinque gradus.

Dubitatio.

Suspicio.

Vnde si quis hos gradus exactè distinguere velit, erunt quinque. Primus, In dubitando. 2. In suspicando. 3. In opinando. 4. In firmiter iudicando. 5. In ferenda sententia. *Dubitatio* propriè est, cum animus hæret in medio suspensus, neutram in partem inclinans. *Suspicio* est, quando in alteram partem inclinat; nondum tamen absolute assentitur, non enim est assensus & determinatum iudicium, sed inclinatio vel concitatio animi ad assensum; quæ sit vel per motus quosdam assentiendi imperfectos & indeliberatos, vel quod species aliqua veri subleceat in hac parte, quæ non in altera. vnde & verbum Latinum *suspitari*, & Græcum *ὑποθέω* ductum videtur, quasi aliquid subitus latens appareat.

Opinio.

Opinio est assensus alterius partis, & iudicium determinatum, sed infirmum & vacillans, habens coniunctam formidinem de opposito. quambrem opinantis animus quodammodo fluctuat, & dicitur adhuc dubitare; quia etsi non maneat suspensus quoad assensum in genere, cum alteri paria aliqualem assensum accommodet; manet tamen suspensus quoad assensum firmum, cum neutri parti assentitur firmiter. Et hoc modo nomen dubitationis sæpè accipitur. vulgò enim dicimus, nos dubitare, quamdiu in neutram partem certi sumus; qua ratione tres priores gradus nomine dubitationis D. Thomas complecti videtur. *Iudicium firmum* est assensus sine formidine veritatis oppositæ. *Sententia* est iudicij interni patefactio exterior. Verùm ne sit discrepantia in vtu vocum, quæ sæpè rem obscurat, nomine *suspicionis* comprehendemus etiam *opinionem*, sicut D. Thomas, Caietanus, & alij, & nomen *dubitacionis* sumemus propriè. Vide de his Nauarum in cap. Si quis autem, de pœnit. dist. 6. num. 10. & sequent. & D. Antoninum 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 9. ex Alberto. ubi tamen suspensionem & scrupulum accipit pro eodem. nam in rebus agendis, scrupulus est tenuis suspicio mali circa rem bonam vel adiaphoram.

Quomodo dicitur dubitare.

Iudicium firmum. Sententia.

7. Porro hi gradus ita se habent, vt maiora indicia requirantur ad suspensionem, quàm ad simplicem dubitationem; & maiora ad firmum iudicium quàm ad suspensionem; denique maiora ad sententiam quàm ad iudicium. vnde ex iisdem signis sententia seu iudicium externum sæpè est temerarium, ex quibus internum non est temerarium. vt enim possit ferri sententia condemnatoria exterius per Iudicem, requirantur saltem duo testes, vel confessio Rei, vel euidentia facti; cum ad iudicium internum sæpè vnus testis vel indicia abundè satis sint. His positis,

8. Dico Primò, Iudicium temerarium Iudicis prodiens in actum externum per sententiam, semper est peccatum mortiferum contra iustitiam. est communis sententia DD. Ratio est, quia grauem iniuriam & lesionè irrogat reo, idque contra obligationem sui officij, quo astringitur non iudicare, nisi ex iustis idoneisque probationibus, vel Rei confessione; vnde tenetur ei ad restitutionem famæ, & damnorum securorum.

Dico Secundò, Iudicium temerarium in animo tuo residens, non est peccatum, priusquam aliquo modo aduertas, vel dubites, te ex signis insufficientibus iudicare: postquam autem cœperis id aduertere, erit saltem peccatum veniale, si in eo perseueres, numquam tamen erit mortiferum ante plenam animaduersionem.

Iudicium temerarium quale peccatum.

Prior pars probatur; quia priusquam animaduertas, causas, ex quibus iudicas, non esse sufficientes, vel saltem priusquam de illis dubites, non est illud iudicium vllò modo voluntarium, saltem qua parte temerarium, sed censetur primus motus libertatem voluntatis præueniens, etiam si longo tempore durasset. Idem dicendum de omnibus aliis motibus intellectus, voluntatis, imaginatio- nis, & sensuum externorum: nisi enim aduertatur turpitudine, vel saltem de ea dubitetur, non potest in illis esse vlla culpa, ne venialis quidem: quia turpitudine illis annexa, non censetur vllò modo voluta, cum sit omnino ignorata. vnde ibi solum est turpitudine obiectiua; non formalis, quæ est in libero consensu expressè vel interpretatiuè adhibito, quæ sola animam coinquinat.

Animaduersio mali.

Alter pars probatur; Quia si quis, postquam aduertit aliquo modo hoc iudicium esse temerarium, vel de eo dubitare incepit, adhuc pergat, nec conetur excutere, iam turpitudine eius incipit esse voluntaria. qui enim voluntariè admittit in se aliquem motum vel actum, cui suspicatur inesse turpitudinem moralem, etiam ipsam turpitudinem velle, & in semittere censetur, ac proinde peccat. Verùm quia imperfecta est illa animaduersio malitiæ, neque pro eo tempore eius grauitas satis perspicitur potest, (eò quòd mens multa aliis rebus sit intenta, neque regulas morales possit tunc, nisi veluti per transgressum, intueri) idè est etiam imperfectus consensus in illam, ac proinde venialis tantum. ad peccatum enim mortiferum requiritur perfectus consensus, qui ex perfecta grauitatis obiecti aduertentia procedit. perfecta autem aduertentia grauitatis est, quando mens sui compos, non abrepta aliis cogitationibus, reflexit se super suum actum, & considerat illum in materia notabili diuina, legi esse contrarium, vel saltem de eo dubitat. Verùm de hoc plura 1. 2. q. 74. artic. 8. Hinc patet tertia pars propositionis.

Imperfecta aduertentia.

Dico Tertio, Iudicium temerarium, quod cum plena animaduersione de graui malo proximi concipitur, ordinariè est peccatum mortiferum contra iustitiam. Ita communiter Doctores, & D. Thomas artic. 3. Probari potest Primò, Ex Scripturis, Matth. 7. & Luca 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini, vel vt non iudicemini; nolite condemnare, & non condemnabimini*. Hic Dominus inter cetera prohibet iudicium temerarium, (quo quis ex leuibus signis de altero male sentit, eumque prauum & supplicio dignum æstimat) & minatur iudicium & condemnationem. Ita Basiliius in Reg. breuioribus, respons. 164. Ambrosius in hunc locum Luca, Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 28. 29. & 30. & passim recentiores. etsi enim Dominus hanc sententiam maximè dicat propter eos, qui sua peccata grauiora dissimulant, & in minora aliorum sunt curiosi, temerarij & seueri Iudices; sententia tamen generalis est, & ad omnes pertinet, 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad usque*

veniat

veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. hic aperte vetatur iudicium de occultis, non autem de iis quæ per sufficientia signa manifestantur. Iacobi 4. Qui detrahit fratri suo, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem: si autem iudicas legem, non es factor legis, sed index. & infra: Tu autem quis es qui iudicas proximum? Ad Roman. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit, &c. Dicitur detrahere legi, eamque indicare; quia facto suo illam improbat, & condemnat, ut passim Doctores exponunt. & ita gerit se erga legem, non ut illi subditus, sed ut Superior & Iudex.

12 Secundò, Probatur ratione, Primò, Grauis iniuria irrogatur proximo, dum sine causa habetur improbus: hoc enim perinde est ac si falsum crimen ei impingeretur. longè enim acerbior & grauior est falsa infamia, quam vera. Itaque, etsi vera infamia apud vnum contracta, quorundam sententià non sit tantum malum, ut peccet mortiferè qui eam infert; (de quo, quid sentire conueniat, dictum est supra cap. 11. dub. 11.) tamen infamia falsa omnium iudicio censetur grante malum, etsi apud vnum tantum resideat, cuius signum est, quòd homines molestissimè ferant, talem de se haberi existimationem. Secundò, Ex huiusmodi iudiciis grauia mala sequi solent, præsertim si in actum externum prodeant: & quamuis in animo maneant, tamen extinguunt bonam opinionem, & bonum nomen proximi, inferunt prauam, pariunt magnum contemptum, & impediunt charitatem. Tertio, Quia viurparum quodammodò iudicium Dei, cuius solius est de occultis iudicare. Hæc ratio tangitur ad Rom. 14. 1. Cor. 4. & Iacob. 4.

13 Dixi ordinariè, quia interdum fieri potest ut iudicium temerarium non sit peccatum mortale; vt si iudicia non sint quidem omnino sufficientia ad certum iudicium, tamen magnam habeant probabilitatem, ita vt efficiant eam valdè verisimilem & credibilem. tunc enim non erit peccatum mortale, etsi quis iudicet esse moraliter certum. nam non est tanta distantia inter moralem certitudinem & magnam probabilitatem, vt censeatur notabilis irrogari iniuria, si quod valdè probabile est, iudicetur esse certum, præsertim cum hæc certitudo non excludat omnem formidinem de opposito. Exemplum sit; si iuuenem inuenias solum cum puella in cubiculo, & inde iudices illos tractare turpia: si ex eo, quòd vides quempiam ebrium, iudices eum esse in malo statu.

14 Dixi de graui malo; quia si quis temerè iudicet de altero in re leuis momenti, vel quam ille parui æstimet, non erit peccatum mortiferum; sicut supra cap. 11. dub. 3. de detractioe dictum est. Idem dicendum de defectibus, qui sunt inculpabiles; vt si iudices alterum esse spurium, vel filium Iudæi: quia hæc carent omni vituperio apud sapientes, cum non sint in hominis potestate, vt rectè Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 450. Quod limitauerim, nisi fortè idcirco illum contempnas aut infames, aut ab aliquo officio aliòve bono consequendo iniquè impediatis.

DUBITATIO III.

Utrum dubitatio & suspicio temeraria sit peccatum mortiferum.

Sunt tres sententiæ. Prima est, Omnem suspicionem temerariam de graui malo proximi, si deliberata sit, esse peccatum mortiferum. Ita Bañes qu. 60. artic. 3. Michaël Salon. & Petrus Arragon. in hunc articulum. Secunda est, Nullam esse peccatum mortale. Ita Caietanus hoc loco, & Nauarra in Rubric. de Iudiciis num. 48. & Petrus Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 454. Tertia est, Suspicionem temerariam plerumque esse peccatum veniale; fieri tamen interdum ratione grauitatis materiæ, vt sit mortiferum; vt si suspiceris ex leui indicio virum Religiosum esse hæreticum, vel incestasæ matrem. Ita Sotus lib. 3. quæst. 4. art. 3. & multi recentiores.

Pro resolutione notandum est Primò, Dupliciter posse aliquem malè suspicari de proximo. Primò, Ex errore quodam intellectus, quo apprehendit illa signa tamquam sufficientia ad suspicandum, paratus suam suspicionem deponere, vbi rem melius considerarit. Secundò, Non tam ex errore intellectus, quam ex prauo affectu & malevolentia erga illum de quo suspicatur; qua fit vt etiam si aduertat signa illa non esse sufficientia, velit nihilominus pergere in sua suspicione.

Notandum Secundò, Suspicionem posse dici dupliciter voluntariam seu deliberatam. Primò, Secundum se, vt cum quis aduertit se malè suspicari de proximo, & etiam aliquo modo dubitat an causa sit sufficientis ad sic suspicandum, tamen neglecto eius examine non excludit suspicionem, paratus excludere, si aduertet causam non esse sufficientem. Secundò, Potest dici voluntaria, qua parte est temeraria; vt cum quis aduertens causam suspicandi non esse quidem sufficientem, tamen ex malitia vult sic de proximo sentire. his positis,

Dico Primò, Si priore modo suspicetur malum de proximo, non erit peccatum mortiferum, sed tantum veniale. Probatur Primò, ex D. Augustino tract. 90. in Ioannem, vbi dicit, Quod de occultis hominum aliquando, imò assidue non vera sentimus, id pertinere ad tentationem humanam, sine qua duci ista non potest vita, ac proinde esse ignoscendum nobis, modo de rebus ipsis rectè sentiamus, & amemus quod amandum est, & detestemur quod detestandum est. & infra: Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, id est, cogitationum alienarum, etsi suspensiones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, id est, definitiuas firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus iudicare, donec veniat Dominus vt illuminet abscondita tenebrarum, &c.

Dices, D. Augustinus videtur loqui de suspicionibus non plenè deliberatis; has enim vitare non possumus, & ad humanam tentationem pertinent; deliberatæ enim facile vitari possunt, nec pertinent ad tentationem humanam, quia consensus includunt.

Resp. D. Augustinum non loqui quidem de suspicionibus, quæ plenè voluntariæ sint secundum rationem temeritatis, seu in quibus temeritas sit plenè voluntaria; (hæ enim ex malitia procedant

cedunt) sed tamen loquitur etiam de iis quæ plenè voluntariæ sunt secundum substantiam, (in quibus aduertit quis se malè suspicari) & non plenè secundum rationem temeritatis. Duo enim sunt consideranda in tali suspitione, nempe ipsa substantia suspitionis; vt quòd sit opinio talis de malo proximi, & hæc est plenè voluntaria. Secundo, Quòd sit temeraria; (id est, quòd concipiatur ex signis non idoneis) & hoc non est plenè voluntariu, nisi quis aduertat signa non esse sufficientia. Quòd autem D. Augustinus etiam de talibus loquatur, patet ex illis verbis: *Quando ergo non erratur in rebus, vt recta sit improbatio victorum, virtutumque probatio, profecto si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio.* vbi loquitur in genere de omni suspitione, quæ ex errore prouenit. Item ex hac suspitione dicit sæpè multa pro zelo fieri ab hominibus, quæ non fierent si veritas cognosceretur: atqui suspicio, ex qua multa fiunt, est voluntaria. dicit autem illas pertinere ad *humanam tentationem*, quia ex errore humano & fragilitate iudicij proueniunt, ita vt non possint omnino vitari. quis enim est qui non aliquando suspicetur malum, aduertens se ita suspicari; & dubitans an habeat iustam causam suspicandi, nihilominus pergat in sua suspitione, absque examine causerum?

20 Secundò Ex D. Thoma, vbi ait *primum gradum suspitionis esse, cum homo ex leuibus indicis de bonitate alicuius incipit dubitare: & hoc esse veniale & leue peccatum;* idque probat ex D. Augustino. vnde patet, D. Thomam eodem modo esse intelligendum.

21 Tertiò Probatur ratione, quia tali modo suspicandi non censetur fieri notabilis iniuria proximo: tum quia non ex malitia, sed ex imbecillitate iudicij & humano errore sic suspicatur, paratus corrigere vbi melius aduertit; vnde talis suspicio non est perfectè voluntaria, qua parte est temeraria: tum quia signa, ex quibus suspicatur, non carent omni verisimilitudine & proportionem ad talem suspitionem. quando enim suspicio non est ex maleuolentia, sed ex humano errore, indicia non carent omni ratione; longè enim pauciora indicia requiruntur ad suspicandum, quam ad iudicandum pro certo: tum denique quia ipsa suspicio est iudicium imbecillum & vacillans, cui coniuncta est notabilis formido de opposito. qui enim suspicatur, simul putat actu tacito vel expresso se posse facile falli. qua in re multò minus iniuriæ inferitur proximo, quam per iudicium, quo quis iudicat rem vel omnino certam, vel ferè certam, ita vt vix falli possit.

22 Dico Secundò, Si secundò modo, nempe ex prauo affectu, & aduertens signa non esse sufficientia, suspicetur quis de proximo graue malum (id est, quòd illi sit magna infamia) peccat mortiferè. Probatur Primò, Quia talis suspicio non procedit ex errore humano aut fragilitate aliqua, sed ex malitia, qua quis vult ita suspicari, vt eum contemnat, & pro vili habeat, aut ne cogatur illum in corde suo sibi præponere; qua in re grauis est iniuria; nam præterquam quòd suspicio talis proficiscitur ex prauo affectu erga illum, etiam est pertinax. etsi enim suspicator ille aduertat se iustam causam non habere, tamen vult in sua praua opinione persistere. Sic heretici & politici solent malè suspicari de viris probis & Religiosis, eos esse impuros, auaros, quæstus & honoris causâ omnia facere, & simi-

lia; partim quia ipsi tales sunt; & ne cogantur eos sibi præponere, talia de ipsis pro sua libidine sibi confingunt; partim vt eos contemptui habeant. hinc libentissimè legunt & audiunt quæ ad illorum infamiam pertinent; quæ verò ad laudem, vel excusationem & defensionem, audire nolunt.

23 Probatur Secundò, Quia si illi merentur iudicium & condemnationem; qui neglectis suis vitijs grauioribus; minora fratrum suorum vitia acriter insectantur & condemnant, vt ipsi sanctiores videantur; (contra quos expressè Matth. 7. & Luca 6. agit Dominus) quanto magis merentur, qui ex odio & malignitate imaginantur, quæ non sunt: cum enim non possint illos tales efficere, quales vellent eos haberi, imaginantur illos tales esse, vt possint eos pro talibus, affectu & interna estimatione ducere. Nec refert, quòd fortasse non firmiter iudicent, putentque se posse falli: quia non minor iniuria est, pertinaciter suspicari malum grauius, quam iudicare minus. deinde, etsi non firmiter iudicent ex parte obiecti, dum putant fieri posse vt res aliter habeat; tamen ex parte subiecti, iudicium est firmum; quia pertinaciter in eo volunt persistere; qua in re non minor est iniuria, quam si absque tali pertinacia iudicarent.

24 Petes, Vtrum suspicio temeraria ex genere suo sit dicenda peccatum mortale, an veniale?

Respondeo, Possedici ex genere mortale: quia si sit plenè voluntaria, & de graui malo proximi, est peccatum mortale; solumque est veniale, vel quia non est de graui malo, vel quia aliquo modo procedit ex errore humani intellectus, qui error si non esset, homo nullo modo vellent ita suspicari: vnde etiam paratus est deponere suspitionem, si aduertat causam non esse sufficientem. potest etiam quodam sensu dici ex genere suo veniale, quia secundum se & conditionem naturæ suæ habet, vt nascatur ex errore intellectus, & non sit plenè voluntaria: cuius signum est, quòd sublato errore euanescat, quasi error, illius causa extiterit. hinc fit vt per se non censetur grauis iniuria, sed solum vt procedit ex maleuolentia. vnde etiam numquam est peccatum mortale, nisi ex hac procedat.

25 Dices, Actus ex genere suo venialis, non potest fieri mortalis per hoc quòd fiat omnino voluntariè, & cum plenissima animaduersione: atqui suspicio ex veniali potest fieri mortifera, ex eo quòd accedat plena animaduersione, ipsaque fiat omnino voluntariè, vt dictum est; ergo non est venialis ex genere.

26 Respondeo, Dupliciter potest actus dici venialis ex genere. Primò, Ratione materiae, qua toto genere suo in moralibus censetur leuis. & hic propriè dicitur talis ex genere; nam ex materia, seu obiecto sumitur genus actus. & qui tali modo dicitur ex genere suo venialis, non potest vquam fieri mortalis, ratione solum animaduersionis. Tale est mendacium officiosum, verbum oriosum, &c. Suspicio autem non dicitur eo modo venialis ex genere.

27 Secundò, Ratione alicuius naturalis conditionis; vt si connotet errorem aliquem inuoluntarium, ex quo procedat. & hic non propriè dicitur venialis ex genere. vnde non est mirum, si accedente pertinacia voluntatis, possit fieri mortalis.

H h hæc

Quo modo pertinent ad tentationem humanam.

Non sit notabilis iniuria.

Si ex prauo affectu.

75

22

23

23. Quale peccatum sit ex genere suo.

24

24

Actus venialis ex genere.

hæc autem pertinacia accedit, quando homo aduertens fundamento carere suam suspitionem, nihilominus vult in ea perstare.

25
De dubitatione.

Dico Tertio, De dubitatione ita ferè sentiendum sicut de suspitione. si enim quis etiam aduertens non esse iustam causam, velit tamen pertinaciter dubitare de probitate proximi, erit peccatum mortiferum: si autem solum ex errore humano dubitet, erit tantum peccatum veniale. Prior pars probatur, quia talis dubitatio procedit ex malevolentia & contemptu alterius, ac proinde censetur grauis iniuria in materia graui. maior enim est iniuria, dubitare pertinaciter de viro probato an sit proditor an Iudæus, quam iudicare esse concubinarium. vnde indignissimè homines ferunt ita de se dubitari. Altera pars satis patet ex supradictis; dubitare enim minus est quam suspicari: qui enim suspicatur, iam propendet in alteram partem, vel etiam assentitur, & determinatè opinatur esse improbum, etsi assensu imbecillo & ancipiti, qui autem tantum dubitat, sustinet assensum veluti in æquilibrio, in neutram partem magis inclinando, & vtramque æquè ancipitem iudicando.

26 Dices Primò, Non tenemur posituè opinari proximum esse probum; possumus enim mentem ad alia conuertere, & nolle circa res illas occupari: ergo nulla est iniuria in actu dubitandi.

Dubitans facit iniuriam.

Respondeo negando consequentiam; qui enim dubitat, non eo præcisè facit iniuriam quòd assensum sustineat seu suspendat; sed ex eo, quòd absque iusta causa iudicet huius probitatem esse ambiguum, & eum non posse prudenter iudicari probum, aut pro tali reputari.

27
Qua restitutio faciend.

Dices Secundò, Si timerè iudicare, suspicari, & dubitare de proximo, est contra iustitiam, ergo obligat ad restitutionem: at cui, vel quomodo fiet ista restitutio, cum nihil sit ablatum?

Respondeo, Si loquamur de restitutione propriè, vel compensatione alicuius damni exterioris illati, sic non obligat ad restitutionem, nisi processerit in opus externum per sententiam, detractionem, vel contumeliam; quia nullum damnum externum illatum est: & hoc vult D. Thomas in respons. ad 3. Si verò loquamur de restitutione generatim, sic verum est obligare ad restitutionem: nam hæc prauæ opinionès de proximo, sunt damna quædam famæ proximo illata in mente iudicantis, vbi vel bonam famam possidebat, vel saltem infamiæ malo non laborabat. itaque ex iustitia tenemur has opinionès; tamquam iniusta quædam damna famæ, depellere.

Nec obstat, quòd Iustitia dicatur versari circa actus externos; id enim pro maxima parte verum est, non vniuersè: nam actu interno, nempe temerario iudicio, iniuria inferri potest, eum si nullo modo in actum externum prodeat. Adde, posse dici, illam versari circa actus externos, vt hoc nomen tribuitur omnibus actibus non elicitis à voluntate, sed ab aliis potentiis.

28
Varij gradus iudicij temerarij.

Ex dictis patet, quando censendus sit quispiam iudicio temerario interno peccasse mortiferè, quâdo venialiter tantum. Primò, Si non fuit graue malum, quod proximo temerè in mente sua inpegit, non est peccatum mortale. Secundò, Si fuit graue malum, sed non perfectè aduertit se malè iudicare. Tertio, Si aduertit quidem se malè iudicare, tamen non aduertit signa esse insufficientia, nec occurrir ei dubium de eo. Quarto, Si signa erant sufficientia ad

probabilem opinionem; tunc enim etsi quasi certò crediderit, non erit peccatum, nisi veniale. Quintò, Si tantum suspicatus est, non erit peccatum mortiferum, nisi suspicio fuerit pertinax; vt cum prouenit ex contemptu vel ex malevolentia, non ex humano errore, sitque de graui malo. Vt autem sciatur vtrum fuerit suspicio, an iudicium firmum, præsertim quando formido de opposito non est expressè coniuncta, Notanda est hæc regula, Dum quis ita iudicat, vt rogatus an habeat pro certo, responsurus sit, sibi certum, aut ferè certum videri; tunc est iudicium firmum. si verò ita iudicet, vt responsurus sit se non esse moraliter certum, sed facile posse ea in re falli; tunc solum est suspicio. Ita ferè Caietanus art. 3.

DUBITATIO IV.

Vtrum dubia in partem meliorem sint interpretanda.

D. Thom. art. 4.

Notandum est Primò, vel esse *dubium* de rebus, v.g. sitne talis contractus licitus, an illicitus; vel de personis, nempe de probitate vel improbitate earum; aut quis hoc vel illud crimen commiserit. Rursus, si sit dubium de personis, possumus nos habere quadrupliciter. Primò, Interpretando in partem peiorem. Secundo, In partem potiore. Tertio, Habendo rem in ancipiti, seu dubitando. Quarto, Suspendendo iudicium, seu nolendo applicare mentem ad alteram partem iudicandam. aliud enim est dubitare de alicuius probitate; aliud, iudicium suspendere tamquam de re ad se non pertinente.

Quadruplex interpretatio de personis.

Notandum Secundò, Dupliciter nos posse aliquid in peiorem partem interpretari; speculatiuè, & practicè. *Speculatiuè* quidem, vt quando opinamur partem deteriorem esse veriorem, non tamen ideò nos aliter erga ipsum hominem gerere debere, cum res sit incerta. *Practicè* verò, quando censemus illum habendum interno affectu & æstimatione pro improbo. His positis,

Speculatiue & practicè interpretari.

Dico Primò, Dubia de rebus non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis æstimatione momenti. ratio est, quia in iudicio rerum tantum agitur id vnum vt attingatur veritas; nec timetur, ne cuiquam iniuria inferatur. In iudicio personarum ita quaritur veritas, vt maximè cauendum sit ne proximo iniuria irrogetur, & de possessione bonæ famæ in re dubia depellatur.

31
Dubia de rebus.

Dico Secundò, Dubia de personis, ad bonam vel malam existimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda. Ita diuus Thomas artic. 4. & communiter DD. colligit hoc D. Augustinus, de Serm. Domini in monte lib. 2. cap. 18. ex illis verbis Domini, *Nolite iudicare: Hoc loco, inquit, nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, qua dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Idem docet Bernardus Ser. 40. in Cantica, sub finem: *Etiamsi, inquit, perperam quid factum deprehendas, nec sic iudices proximum; magis autem excusa. excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, &c.* Idem docet Seneca lib. 2. de Ira cap. 24. *Simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione,*

32
Dubia de personis.

ut nihil, nisi quod in oculis incurret, manifestumque erit, credamus. Confirmatur ex communi illo DD. dicto, *In dubio non esse presumendum delictum*; quod colligitur ex L. Merito. π . Pro socio. de quo vide Covarruiam, Clem. Si furiosus, p. 2. §. 2. numero 1.

Sed difficultas est, quomodo sint in potiore parte interpretanda, virum negatiue tantum, id est, ut in dubio non putemus proximum improbum, vel auctorem criminis, vel peccasse mortiferam; etiam positiuè, id est, actu positiuo credendo illum esse probum, non peccasse, habuisse bonam intentionem, aut ex ignorantia fecisse. Respondeo, &

33 *Non tenemur in dubio speculatiue iudicare esse probum, vel non improbum.* Dico Tertio, Certum videtur, in dubio nos non teneri ad iudicandum actu positiuo & speculatiue, proximum re ipsa esse innocentem, non peccasse mortiferè, habuisse bonam intentionem, & similia. Ita Caietanus quæstione 60. artic. 4. & alij recentiores, nec puto Sotum id negaturum, et si lib. 3. quæstione 4. artic. 4. generatim contra Caietanum doceat, dubia positiuè in bonam partem interpretanda. Probat, quia nemo tenetur ad assensum, aut ad modum assentiendi, in quo exponit se notabili periculo errandi: talis enim assensus non est actus virtutis, neque ad actum virtutis necessarius; sed est quiddam errori obnoxium, quod perfecta prudentia deuorat, ex imperfectione nostri intellectus proueniens: vnde non fuisset in statu innocentia, neque fuit in beatissima Virgine. Confirmatur Primo, Quia omnis modus assentiendi subiectus errori, & omnis error pertinet ad aliquale malum intellectus; quod sapienti est vitandum, quantum commodè fieri potest, etiam si non magni sit momenti. Confirmatur Secundo, Quia nulla est necessitas talis iudicij. vt enim erga proximum me geram sicut oportet, sufficit, vt iudicem probabile aut verisimile, esse probum, non peccasse; aut vt suspendam iudicium speculatiuum, nolendo in alterutram partem definite qualis ille in re sit, & hoc totum committendo Deo: cum hac enim suspensione iudicij stare potest, vt habeam illum pro viro probato, & pro tali habendum sentiam.

34 *Nec semper practice, & actu positiuo.* Dico Quarto, Non tenemur etiam semper occurrente dubio, actu positiuo practice iudicare probum; (id est, hic & nunc habendum & tractandum tamquam probum) sed possumus etiam hoc iudicium suspendere. Probat, quia non semper, quando occurrit aliquod dubium de proximi probitate, tenemur positiuè statuere, illum habendum pro viro probato, puro à tali vel tali crimine; sed sufficit illud iudicare, quando ratione affectus & actionis ipsius concernentis fuerit operæ pretium; vt quando cum illo tractandum, vel prauus in illum animi motus vincendus. quod maximè patet, dum de illis agitur, de quibus neutram in partem habemus positiuam opinionem, eò quòd res illorum nobis penitus sint ignotæ. hos enim in dubio facile est Deo permittere, neutram in partem aliquid statuendo. Maior difficultas est, dum dubium occurrit de iis, de quibus habemus bonam opinionem: difficile enim videtur eam non minui per hanc iudicij suspensionem. sed absolutè fieri potest vt non minuat, vt quando quis non vult causas dubij expendere, tamquam nihil ad se pertinentes, & mentem aliò deflectit.

35 Aduerte tamen, valde esse consentaneum chari-

tati, vt semper hoc pacto dubia in bonam partem interpretemur, iudicando illum loco viri probi habendum, eò quòd de contrario non constet. nec ideo me expono periculo erroris; quia non iudico illum in re esse probum & innocentem; (hoc enim Deo permitto, tamquam mihi incertum) sed esse pro tali habendum & æstimandum; (id est, ita affectu interno, & externo modo agendi à nobis tractandum, ac si re ipsa probus esset) quod iudicium est verum. Adde, si velimus hic & nunc statuere apud nos, quo loco habendus sit apud animum nostrum, etiam tenemur actu positiuo dubium in potiore parte interpretari, iudicando illum loco viri probi habendum.

Dico Quinto, Tenemur tamen lege iustitiæ dubia interpretari in potiore parte negatiue & practice, ita vt propter dubium non habeamus proximum pro improbo vel auctore criminis. sic potissimum intellige testimonia supra allata. (quæuis etiam insinuent, illum positiuè habendum loco probi, præsertim si iudicare velimus.) ratio est, quia iustitia postulat, vt in dubio nemo condemnetur criminis, non solum exterius, sed etiam ne interius quidem in animo: quisque enim ius habet vt sibi non irrogetur certa infamia, pro incerto crimine. Confirmatur, quia censeri pro improbo, est notabile malum proximi, & veluti pœna quædam criminis: ergo non potest inferri sine iusta causa, de qua constat: sicut pœna irrogari non potest nisi constet de crimine.

Dico Sexto, Non tenemur tamen lege iustitiæ, ea negatiue & speculatiue interpretari in meliorem partem, ita vt non opinemur seu suspicemur ipsum in re esse improbum, quando dubium est positiuum. Probat, quia quando dubium est positiuum, tunc vtriusque suppetunt argumenta ad probabiliter opinandum vtramuis partem, cum formidine de opposito: (hoc enim vocatur dubium positiuum) ergo si tunc assentiaris parti deteriori, opinando esse improbum, non ei facis iniuriam; quia cum argumenta ad talem opinionem ancipitem animo ingenerandam sufficiant, non habet ius vt sic de ipso non suspiceris.

Aduerte tamen, videri aliquo modo contra charitatem sic suspicari. ratio est, quia ex charitate tenemur vitare omnem malam opinionem de proximo, etiam speculatiuam, quantum possumus, cum sit aliquod malum eius: ergo cum possumus talem opinionem vitare, dum res est dubia, tenemur. Quòd si possumus vitare, patet Primo, Quia nunquam cogimur ad aliquem assensum, nisi quando res est euidentis. Secundo, Non magis cogimur assentiri huic parti quam alteri, cum vtraque sit dubia. Tertio, Quia perfectissima prudentia postulat, vt in dubiis non assentiamur absolutè alteri parti, ne fortè erremus: talis enim assentiendi modus est fallax. vnde non fuisset in statu innocentia, nec est in Angelis, vt supra diximus. expedit igitur in dubiis sustinere assensum, vel solum iudicare rem esse probabilem, verique similem.

Dices, Si non est contra iustitiam eo casu suspicari improbum; ergo etiam non est contra charitatem; nam in hac materia, si est peccatum, est contra iustitiam.

Respondeo negando consequentiam. Ad confirmationem: Sæpe fit vt in materia iustitiæ peccetur in proximum non violata lege iustitiæ, vt cum ille nullum ius strictum habet vt aliquid fiat, aut

non fiat : & res alioquin ipsi est incommoda. vt si infames eum , cuius delictum alibi est notorium iuridicè : si occidas inuasorem inculpa defensione, quando aliter te poteris subtrahere, & aliis modis. Idem dicendum in exemplo proposito, vt mihi quidem ratio allata probare videtur. quamuis putem non esse nisi veniale.

39 *Si dubium sit negativum.* Dixi, *Quando dubium est posituum* : quia si sit negativum, vbi in neutram partem suppetunt rationes, est contra iustitiam, male opinari. quisque enim ius habet, vt non habeatur de se mala opinio, nisi indicia aliud suadeant.

40 Dices, Si non est contra iustitiam opinari deteriorem partem speculatiuè, dum dubium est posituum; ergo etiam non est contra iustitiam opinari practicè; quia iudicium practicum sequitur ex speculatiuo.

Iudicium practicum non sequitur necessario ex speculatiuo. Respondeo negando sequelam; quia iudicium practicum non sequitur necessario ex speculatiuo, præsertim quando speculatiuum est incertum. Iudicium enim practicum in proposito est, quo iudico aliquem habendum pro improbo; quod longè aliud est, quàm putare in re esse improbum. habere enim aliquem quo improbo, est æstimatione, affectu, & contemptu interno se gerere erga alterum ac si improbus esset. vnde fieri potest vt speculatiuè opiner Petrum esse improbum, vel furem; & practicè iudicem esse probum: quia etsi verisimile mihi sit, & opiner ipsum in re & coram Deo esse improbum; tamen quia mihi id certum non est, nolo hac opinione meum affectum & æstimationem internam erga illum regere; sed ea seposita quasi non esset vera, iudico illum habendum loco & gradu viri probi.

41 *Minor æstimatio ex dubio.* His addo, non videri contra iustitiam, si quis propter dubium non tanti æstimet hominè, quanti antea; quia non tanti debet æstimari cuius incerta seu dubia est virtus, quàm cuius certa. non tamen idèd potes æstimare improbum. charitas tamen suadet, vt propter dubium nihil de æstimatione & interna reuerentia detrahamus.

42 *Suspicio ad cautelam.* Dico Septimò, Quando agitur de vitando aliquo damno, vel de adhibendo remedio; dubia sunt in deteriorem partem accipienda, non quidem iudicando proximum esse furem vel improbum, vel habendum pro tali; sed iudicando ita exterius cauendum, & sibi illique consulendum ac si dubia esset eius probitas. Ita D. Thomas hoc loco ad 3. & alij DD. qui dicunt, tunc dubia in deterius interpretanda, non definitiuè iudicando, sed per quamdam suppositionem concipiendo malum de proximo. Hoc modo, dum accipimus ignotum in ædes, ita cauemus rebus nostris, ac si dubia esset eius probitas, nullo tamen modo habentes illum pro improbo.

43 *Superiores.* Sic Superiores ob indicia quædam dubia interdum obiurgant suos subditos, pœnitentias imponunt, aliaque remedia illis corrigendis adhibet, tamquam si ipsos malos putent, quamuis eos pro malis non habeant; & eorum facta vel intentionem apud animum suum excusent. nam Superiores quoque hanc regulam de dubiis in meliorem partem interpretandis, quo ad internam affectionem & æstimationem seruare debent: quamuis in ordine ad emendationem vel cautelam mali, exterius ita se gerere possint erga subditos, ac si mali aliquid perpetrassent, & meritò; non enim solum ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie abstinendum. Hic tamen cauere debent, ne vel

modum excedant, vel illos aliis suspectos reddant, vel de illorum virtute diffidere videantur. Simili terè modo dubia sunt in potiorem partem interpretanda, quando non agitur de vitando incommodo, sed solum de interna æstimatione & reuerentia erga proximum. tunc enim etsi definitiuè non iudicemus ipsum in re bonum esse; tamen id iudicandum per quamdam suppositionem, supponendo esse probum, & iudicando ita illum æstimandum, & cum illo agendum interius & exterius, ac si reuèra probus sit.

44 *Dubia interpretanda in potiorem partem, per quamdam suppositionem.*

DUBITATIO V.

Vtrum liceat aliquando iudicare non secundum leges scriptas.

D. Thom. art. 5.

45 **R**espondeo & Dico Primò, Si leges illæ scriptæ contineant ius naturale, semper secundum eas iudicandum est. ratio est, quia numquam licitum est à iure naturali recedere, cum contrarium huius iuris semper sit iniquum.

46 Dico Secundò, Si leges scriptæ contineant ius posituum, ordinariè secundum eas iudicandum, præsertim Iudici inferiori. Ita diuus Thomas & alij.

Dixi, *Præsertim inferiori*, quia supremus Princeps potest interdum dispensare in lege positua, legisque rigorem, vel pœnam relaxare, vel mitigare, quando ita putat expedire Reipubl. hoc autem non potest inferior, nisi ex tacita vel expressa Superioris concessione.

47 *Quando inferior recedit à lege scripta, iudicando contra verba legis.* Dixi *ordinariè*, quia interdum potest Iudex inferior recedere à lege scripta, iudicando contra verba legis. Primò, Quando constat mentem legislatoris esse aliam, nec voluisse hunc casum verbis legis esse comprehensum; tunc enim vitandum est: magis enim tenetur sequi mentem legislatoris, quæ legis est anima, quàm corticem verborum, alioquin summum Ius, summa iniuria. Neque in hoc casu tenetur legislatores vel Superiores cõsulere, vt quidam volunt; quia non opus est inquirere de mente, quando de ea constat. Confirmatur ex L. Nulla ratio. 7. de legibus, & L. Non dubium. C. de legibus.

Secundò, Quando non quidem constat, sed probabilius est aliam legislatoris esse mentem, & res non patitur inorari vt Superior consulatur. tunc quoque esset contra rectam rationem verba sequi: nam semper intentio legislatoris præferenda est verbis legis. Quòd si Superior facile consuli possit, consulendus est: quia lex infringi non debet, ne quidem quoad verba, nisi constet aliam esse mentem legislatoris, si tamen de ea constare potest: quòd si de ea constare non potest, tunc sequendum id quod probabilius videtur.

Tertiò, Si vtrimque æquale sit dubium, & Princeps consuli nequeat, tenetur inferior Iudex secundum verba legis iudicare. Ita communiter Doctores. ratio est, quia lex est veluti in possessione suæ auctoritatis: vnde in pari dubio non potest Iudex, cum ex officio sit custos legis, eam sua auctoritate priuare.

DUBITATIO VI.

Quinam peccent vſurpatione Iudicij.

D. Thomas quaest. 60. art. 6.

48 Notandum est, tria requiri ad iustum iudiciu, vt colligitur ex D. Thoma quaest. 60. artic. 2. Primò, Certitudinem in cognitione cause : & defectu huius iudicium dicitur *temerarium*, de quo dubit. 2.

Secundò, Iustitiam in ipſo actu iudicij, id est, vt ferretur equalitas in iure suo cuique reddendo. ad hoc requiritur, tum vt iudicetur secundum leges, (de quo dub. 5.) tum vt ferretur ordo iuris, (id est, ordinata ratio procedendi à iure iudicibus praescripta) de quo infra. huius defectu iudicium dicitur *peruersum* & iniustum.

Tertio, Auctoritatem in iudicante: qui enim auctoritate caret, siue in personas iudicandas, siue in causam, vt (si sit exempta) iniuriam facit, tum partibus, causa illarum se ingerendo; tum legitimo iudici, cuius potestatem & officium sibi assumit. huius defectu iudicium dicitur *vſurpatum*, vel praesumptum. His positis

49 *vſurpatione Iudicij peccant.* Respondeo & Dico Primò, Omnes eos peccare vſurpatione iudicij, qui iudicant eum, qui vel absolute non est ipſis subditus, vel non in iis causis, in quibus eum iudicant; ac proinde sententia illorum est irrita: ratio est; quia in his iudiciis deest potestas in eum qui iudicatur, quae ante omnia requiritur: quia Iudex debet habere auctoritatem & obligandi conscientiam, (sententia enim est veluti lex quaedam particularis imposta alteri, quam ille tenetur subire) & cogendi ad executionem eius, ad quod obligauit; alioquin sententia esset inefficax.

50 *Quinque modi subiectionis.* Vbi Notandum est, Quinq; modis posse quempiam esse alteri subiectu, ita vt ab eo iudicari queat. Primò, Ratione potestatis ordinariae: sic fideles Pontifici, & Episcopis suis; & ciues suo Regi sunt subiecti. Secundò, Ratione potestatis delegatae: sic Legato Apostolico subsunt Prouinciae, ad quas ipſius delegatio pertinet; & ciues Proregi vel Gubernatori. Sic Daniel iudicauit senes potestate sibi à Deo delegata, cap. 1. 3. & iuxta probabiliorem sententiam, Moyses Aegyptium, Exod. 2. vt testatur D. Augustin. lib. quaestionum in Exod. quaest. 2. & aperte colligi videtur Actor. 7. vbi Stephanus ait, *Fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percussor Aegyptio. existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.*

Tertio, Ex consensu partium, vt quando partes ex compromisso se alicui subiciunt, siue vt Iudici, (vt si ille aliàs auctoritatem iudicandi habebat, etſi non in illos) siue vt arbitro, de quo vide Siluest. v. Arbitr. Quarto, Ratione delicti in alieno loco perpetrati: nam ratione delicti sortitur quis forum. cap. Postulasti. 1. 3. & cap. fin. de foro compet. vbi Glossa v. Ratione delicti. Simili modo sortitur quis forum ratione contractus, domicilij, & rei, de qua contra possessorem causa mouetur, vt eodem cap. dicitur. Quintò, Ratione iniuriae, subdito alterius Principis illata. si enim Superior eius, qui iniuriam fecit, interpellatus, nolit illam vindicare, poterit id facere Princeps eius, qui iniuriam accepit. Quicumque igitur iudicat aliquem, qui non est aliquo horum quinque modorum ei subiectus, peccat vſurpatione iudicij; quia vſurpat sibi aucto-

ritatem iudicariam in eum, in quem non habet. Sic Pilatus iudicando Christum peccauit vſurpatione iudicij; (etſi contra sentiat Caietan. quaest. 67. art. 1. & Sotus lib. 5. quaest. 4. artic. 1.) quia Christus non erat ei aut Caesari reuera subditus, cum esset Filius Dei & omnium Dominus; (quam ob causam neque tributum debebat Caesari, vt colligitur Matth. 17. ex illis verbis, *Ergo filij liberi sunt.*) idque facile poterat Pilato constare. Neque subiecit se Pilato dando auctoritatem, sed solum permisit se iudicari. Simili modo peccant Iudices saeculares iudicantes Clericos; quia sunt exempti ab eorum iurisdictione, tam in ciuilibus quam in criminalibus, vt patet tota distinct. 96. & 1. quaest. 1. per totam. & in Decretalibus de immunitate Ecclesiaru, & in Concil. Trident. sess. 23. ca. 20. de reform. vbi renouantur omnes Canones, qui hac de re agunt. Idem patet iure ciuili, Authentica, Vt Clerici proprios Iudices conueniant, collatione 6. Adde, nec posse Clericos huic exemptioni renuntiare, vt à Iudice saeculari validè possint iudicari, etiam in ciuilibus, vt patet cap. 41. Inolita. 1. 1. quaest. 1. & cap. Placuit. 42. ibidem, & cap. Si diligenti. 12. extra. de foro competenti: vbi etiam redditur haec ratio, quia non est beneficium hoc personale, cui renuntiare valet, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice indultum, cui primatorum pactio derogare non potest. Possunt tamen in ciuilibus se subicere Iudici saeculari vt arbitro; qui tamen nolentem stare sententia, non potest per se cogere. Item potest Clericus vt actor, laicum pertrahere ad Iudicem saecularem, non autem vt reus pertrahi. in casu tamen reconuentionis potest à Iudice saeculari iudicari: vt si dum laicum pertrahit ad iudicem, laicus vicissim illum in causa ciuili reconueniat; vt expressè docet Glossa communiter recepta, in cap. 2. de mutuis petitionibus. & colligitur tum ex illo cap. tum ex 3. quaest. 8. cap. 1.

52 *Non possunt renuntiare exemptioni.*

53 *Est peccatum mortale.*

60 *Confugiens ad Ecclesiam.* Simili modo censetur vſurpatione iudicij, & irrita est sententia, si eum, qui ad Ecclesiam tamquam ad asylum confugit, vt vel fraude extrahat, & ad mortem vel mutilationem condemnet: quia talis exemptus est à Iudicis potestate, saltem quoad hanc penam irrogandam, & Iudex tenetur eum Ecclesia restituere. vt colligitur ex cap. Inter alia, de immunit. Eccles. & ex multis Canon. 17. q. 4. de quo vide Clarum pract. criminal. q. 30. & Salonium q. 60. art. 4. controuersia 2.

61 *Exemptorum causa.* Dicit etiam potest vſurpatione iudicij, si Iudex iudicium exerceat, vel sententiam ferat in Ecclesia: nam eo loco id faciendi potestatem non habet, cum quidquid ibi actum fuerit, sit irritum, vt statuitur cap. Decet. §. Ordinarij, de immunit. Eccles. in 6. vbi dicitur: *Processus iudicum saecularium, ac specialiter prolata sententia in eisdem locis, (Ecclesiis) omni carcant robore firmitatis.*

Denique vſurpatione iudicij peccant Ordinarij, dum exemptorum causas discutere praesumunt, in quibus Concilium Tridentinum eos non subiecit. Dico Secundò, Hoc peccatum vſurpationis iudicij ex genere suo est mortiferum. ratio est, quia fit iniuria, tum partibus, in quas ille potestatem non habet, tum etiam Superiori, cuius auctoritatem sibi assumit. censetur autem haec iniuria grauis, vt ex communi hominum sensu constat: nam auctoritas publica violatur.

H h 3 D V B I -

DUBITATIO VII.

Utrum Iudex excommunicatus peccet usurpatione iudicij, si iudicia exercet.

⁵⁴ **R**espondeo & Dico Primò, Si excommunicatio est occulta; non peccat usurpatione iudicij, & sententia, ceteraque eius acta publica, sunt valida. Ita Glossa in cap. Ad probandum. §. Innodatus, de sententia & re iudicata, & est communis sententia DD. Richardi in 4. d. 18. principali 7. q. 1. Palud. eadem dist. q. 4. & dist. 17. q. 6. a. 2. Siluest. Excomm. 3. n. 3. & n. 5. vbi dicit hanc esse communem opinionem: licet ipse contrariam v. Excommunicatione 2. nu. 1. putet veriozem. Couarr. in cap. Alma 1. p. §. 7. nu. 9. Soti d. 22. q. 2. a. 1. & 4. Probatur Primò, Quia non est priuatus, nec suspensus ab officio: soli enim publicè excommunicati suspenduntur per Canones, vt colligunt DD. d. cap. Ad probandum, ex illis verbis, *Si pro eo, quòd vnus ex delegatis iudicibus excommunicationis vinculo esset publicè innodatus.* vbi à contrario sensu insinuat, secus esse si occultè. Secundò, Quia cum eius excommunicatio ignoretur, sequerentur grauissima incommoda, tum in Ecclesia, tum in Republ. quæ nullo modo possent vitari: innumeræ enim sententia, præsentationes, electiones & collationes beneficiorum & officiorum deberent rescindi, cum magno damno & perturbatione innocentum. Tertiò, ⁵⁵ Quando excommunicatio Iudicis est occulta, ipse non est publicè vitandus, sed solum occultè; vt colligitur cap. Cum non ab homine, de sent. excomm. imò fieret ei iniuria, si quis in publico detrectaret eius communionem, propter infamiam, quæ inde sequeretur. ergo cum partes non possint ipsius iudicium propter excommunicationem occultam reculare, (nisi fortè velint suscipere onus probandi ipsum esse excommunicatum, ad quod non tenentur) oportet vt ipsius quoque sententia valida sit. absurdum enim est vt partes teneantur sese sistere tribunalis Iudicis, à quo nisi irritam sententiam referre non possunt. denique idem probari potest ex L. 3. Barbarius, de officio Prætorum, & 3. q. 7. cap. Infamis. vide infra n. 66.

Quæ diximus, intellige non solum in sententiis & actis fori externi, sed etiam interni & sacramentalis, vt infra magis patebit: quia DD. generatim loquuntur, & rationes eadem vtrobique locum habent.

⁵⁶ **D**ico Secundò, Si excommunicatio Iudicis sit publica seu notoria, ante quidem Concilium Constantiense peccabat usurpatione iudicij, iudicando, & sententia erat irrita: post tamen illud Concilium, verius est non sic peccare, nec sententiam reliquaque eius acta publica esse irrita, nisi sit denunciatus nominatim, vel notorius percussor Clerici.

Prior pars est comunis Doctorem, & colligitur apertè ex cap. Ad probandum. 24. de sententia & re iudicata, vbi iubetur *cassari* (id est, cassa & irrita declarari, vt exponit Glossa) *sententia lata à pluribus iudicibus delegatis, eo quòd ex illis vnus erat vinculo excommunicationis publicè innodatus,* vt ibidem dicitur. Hoc tamen intellige, quando certus numerus Iudicum ad causæ definitionem re-

quiritur; tunc enim vnus excommunicatio sententiam reddit inuvalidam: quia Iudex excommunicatus est inhabilis; ac proinde numerus Iudicum necessariorum non est completus: secus si certus numerus ad sententiam non requiritur, sed solum maior pars: tunc enim sententia erit valida, si maior pars Iudicum habiliū consenserit. Idem probari potest ex cap. Audiuius. 24. q. 1. vbi dicitur, excommunicatum excommunicare non posse: quod de publicè excommunicato intelligendum est, vt ibidem Glossa v. Non potuit, annotat: vbi illud, *non potuit*, significat carentiam potestatis: ac proinde sententia talis Iudicis est irrita. vide Glossam ibidem v. Absoluendo. Idem confirmari potest ex cap. Decernimus. 8. de sententia excommunicat. in 6. iuncta Glossa. ratio est, quia tales, et si non sint priuari officio, (retinēt enim illud in habitu;) sunt tamen priuari eius vsu, seu suspensi ab eius executione, ex dispositione Canonū. potestatem autem suspensa & à functione sua impedita, perinde est ac si non esset: vnde non plus possunt, quam si Iudices non essent. dum ergo iudicant, peccant usurpatione iudicij, assumentes sibi potestatem iudicandi, quam non habent. et si enim habeant potestatem in habitu, hæc tamen ita est impedita, vt in actum exire non valeat. Vnde actus ille iudicij non ex hac procedere censetur; sed ex alia, quam temerè usurpant. quare meritò peccatum mortiferum iudicatur.

Alteram partem, scilicet post Concilium Constantiense, acta talis excommunicati esse valida, quamdiu ⁵⁷ toleratur ab Ecclesia, docet Nauarrus cap. 27. nu. 7. Sotus in 4. d. 22. quaest. 2. art. 1. Henriquez de excommunicatione c. 7. & passim recentiores. est que probabilior, etiam si altera quoque probabilis sit, & multorum DD. Probatur, quia Concilium Constantiense statuit, tantum vitandos esse nominatim excommunicatos & notorios Clericorum percussores; & concessit vt fideles possint cum aliis in omnibus rebus tam diuinis quam humanis, tam publicis quam priuatis habere communicationem; vt refert diuus Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Sotus d. 22. quaest. 1. art. 4. & alij: ergo etiam tacite vult eorum actus esse validos. nisi enim id vellet, non deberet concedere in omnibus. quorsum enim concederet vt ab illis possimus Ius & alios actus legitimos exigere, præsentationes, electiones, collationes, & confirmationes petere, si tales illorum actus sunt inuvalidi: sanè illusoria & noxia videretur talis concessio: nam plurimi per eam deciperentur, & cum magno multorum damno omnia hæc deberent rescindi vel retractari. videtur itaque Ecclesia, dum rigorem antiquorum Canonum circa communionem cum excommunicatis temperauit, tacite etiam sustulisse illam suspensionem iurisdictionis, quam olim excommunicatio continebat: quod sanè erat expediens hoc statu rerum, quo sæpè Iudices diu in excommunicatione, vel ob heresim, vel ob violatam libertatem Ecclesiasticam, vel ob alias causas, manent.

Aduerte tamen, neminem teneri admittere ⁵⁸ Iudicem excommunicatum; potest enim contra illum excipere, quòd sit excommunicatus; vt patet cap. Exceptionem, in fine, de exceptionibus. quod verum est, etiam si eius excommunicatio hoc loco non sit manifesta; modò tamen alibi sit publica, vt colligitur ex eodem cap. iuncta Glossa v. Publicè, vel ipse possit illam probare. Ratio est, quia

⁵⁴ Sententia occultè excomm. est valida.

Si vnus ex Iudicibus excommunicatus.

⁵⁷ Acta excommunicati valida esse.

⁵⁶ Excommunicatus publicè.

⁵⁸

quia et si Concilium concedat ut possit cum Iudice excommunicato habere communionem, & Ius ab illo petere, non tamen cogit. itaque sicut olim poterat recitari, ita & nunc. Si tamen partes in illum consenserint, & sententia debito modo lata fuerit, non potest propter excommunicationem rescindi; quia legitima potestate, cui partes se submiserunt, lata est: sicut cum sponte se alieno Iudici permittere Iure subiiciunt, sententia rescindi non potest.

Nec obstat, quod quidam Patres affirmant, hæreticos & schismaticos nullam habere potestatem, nec posse solvere & ligare, quia sunt extra Ecclesiam, & excommunicati: (ita Cyprianus epist. 76. ad Magnum, de Nouariano. Ambros. lib. 1. de penitentia cap. 2. Nicolaus I. epist. ad Michaëlem Imper. & alij, ut videre est 24. quaestione 1.) ad hoc enim responderi potest, Primò, In his esse peculiarem rationem, quia ita ab Ecclesia se segregant, ut nullam amplius cum ea communionem retineant: alij verò excommunicati retinent fidem & fidei confessionem, & solum ex parte sunt extra Ecclesiam. Secundò, Hæc procedere Iure antiquo, quo omnes hæretici publici ita erant excommunicati, ut non amplius essent tolerati ab Ecclesia.

Petes, An talis peccet mortiferè ex alio capite, ratione videlicet excommunicationis, iudicando?

Quidam recentiores putant esse solum peccatum veniale. ratio est, quia cum Concilium non suspendat illum ab officio, nec priuet vsu istius potestatis, solum videtur illum actum prohibere, quatenus est communicatio quadam humana; non autem præcisè quatenus est actus iurisdictionis & potestatis iudicialis, cui sententiæ fauet Caietanus v. Excommunicato vetita: vbi docet, actus iudiciales excommunicati, si absit iniustitia, non esse nisi peccata venialia; quia solum prohibentur secundario. quæ sententia est probabilis, eamque sequitur Barthol. à Ledesma, dub. 9. de excommunicatione. Henriquez de excommunicatione c. 7. & quidam alij.

Esse mortiferum.

Verius tamen videtur, esse peccatum mortiferum, nisi ignorantia vel inconsideratio, aut functionis breuitas excuset. Est communior sententia DD. Ratio est, quia Ecclesia prohibet illum, non solum generali ratione communicationis humanæ; sed etiam ut est vsus iurisdictionis & potestatis, dignitatem quamdam continens. vnde cum illa sit res gravis, & magni momenti, non video cur præceptum non obliget sub peccato mortali.

Nec obstat, quod Concilium non suspendat Iudices ab officio; quia id fit propter bonum aliorum: non tamen idcirco intendit ipsos Iudices in aliquo releuare, ut expressè idem Concilium testatur. Si tamen partes iustitiam exigant, vel ratio postulet, ut in aliquo casu ex officio procedat, non peccabit; quia Concilium concedit, ut in commodum aliorum, suo munere fungi possit.

Denuntiatio, & percussio Clericorum.

Tertia pars, scilicet Iudicem nominatim denuntiatum, & manifestum Clerici percussorem peccare v. serpatione iudicij, contra iustitiam, & omnia eius acta esse irrita, est communis sententia Doctorum, & apertè colligitur ex cap. Ad probandum, supra cap. Audiuimus, & cap. Miramur. 24. quaestione 1. hos enim excipit Concilium Constantiense. vnde manent suspensi ab officio, sicut erant ante Concilium.

Petes, Vtrum hoc etiam locum habeat in Iudicibus secularibus.

Respondeo habere; ita enim tenent passim DD. 61 & probatur Primò, cap. Exceptionem. 12. de exceptionibus. vbi in fine dicitur, *Excommunicatus autem publicè, etsi huiusmodi exceptio non opponitur, nihilominus est officio Iudicis repellendus: vbi loquitur in genere de cuiusvis Iudicis officio; sicut in verbis prioribus de officio actoris & aduocati.*

Locum habet etiam in secularibus.

Secundò, Quia omnes excommunicati sunt priuati vsu iurisdictionis in suos subditos, ut colligitur cap. Nos Sanctorum. 15. quaest. 6. vbi dicitur, *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento conficti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absolimus, & no sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Si subditi non tenentur eis obedire, ergo suspensa est eorum iurisdictione: ac proinde sententia non obligabit, sed erit irrita. Idem confirmatur cap. fin. ibidem.

Tertiò, Cap. Decernimus. 8. de sentent. excommunicat. in 6. excluditur excommunicatus à munere actoris, patroni & testis: ergo multò magis censetur exclusus à functione Iudicis. absurdum enim esset, Iudicis excommunicati acta valere, actoris verò, aduocati, & testis non valere.

Quartò, Quia non poterat commodè & efficaciter prohiberi communicatio cum tali Iudice, nisi priuando eum vsu iurisdictionis, & reddendo irrita eius acta. alioquin si acta eius vitia fuissent, subditi ad ipsum in suis causis recurrissent ut antea. Denique quia non poterat alia ratione commodius frangi talis hominis contumacia.

Idem peculiariter statuitur de hæreticis, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus eorum; si ritibus vel intra annum satisfacere contempserint, cap. Excommunicamus. 1. §. Credentes, ex Concilio magno Lateranensi; vbi & alia quædam expressè in eisdem statuuntur, quæ tamen etiam aliis excommunicatis sunt communia: ut quod non possint esse aduocati, nec tabelliones, quod sint repellendi à Sacramentis, & ab Ecclesiastica sepultura, & eorum oblationes non admittenda.

Iudex hæreticus vel defensor aut fautor hæretici.

Idem statuit Concilium illud, *aduersus Consules & Rectores civitatum, & alios, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viuantium Cleros rallis, seu collectis & exactionibus aliis, gravare nituntur: quos primùm excommunicat. Deinde subiicit: Quia vero nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquiescit, adicimus ut constitutiones & sententiæ, quæ a talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatae, inanes & irritæ habeantur, nullo umquam tempore valiturae. vbi Glossa, Sententia vel constitutio per excommunicatum prolata, est nulla; nec tractu temporis conualescit. & quamuis hic effectus sit communis excommunicatis, tamen specialiter in his criminibus exprimitur, tum ad maiorem terrorem, tum quia propriè Iudices attingunt.*

Iudex gravans Cleros rallis, seu collectis & exactionibus aliis, gravare nituntur: quos primùm excommunicat.

Adverte tamen, si aliquis sic excommunicatus conferret se in aliam urbem vel Prouinciam, vbi eius censura sit ignota, fieretque Iudex; vel si in loco suæ Iurisdictionis non haberetur pro denuntiato, vel publico Clerici percussore, acta eius fore valida. Ratio est, quia eo loco verè est excommunicatus occultè, & ab Ecclesia censetur toleratus, eademque incommoda sequerentur, si eius acta essent irrita, quæ ex actis alterius,

Si alibi sit vbi igno- ratur.

qui ubique occultus : unde eodem modo de illo sentiendum : & iisdem rationibus probari potest.

Hic tamen grauius peccat, quam alij occulti vel publici non denunciati, actus iudicarios & alios similes obeundo; quia reuera est suspensus, & quantum est ex parte sua, usurpat sibi potestatem, quam non habet.

Dices, Si est suspensus, quomodo eius acta non sunt irrita?

Respondeo, Quia Ecclesia ob communem utilitatem vel tacite hanc suspensionem ad singulos actus in hoc casu ei relaxat, etsi velit ipsum secundum se manere suspensum : vel certe nouam ei potestatem ad singulos actus extraordinarie tribuit, supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum, actus sic irritus : qui duo modi parum in re differunt.

DUBITATIO VIII.

Vtrum Iudex, qui propter crimen ipso Iure est priuatus titulo, vel solum habet titulum putatum, peccet usurpatione Iudicij iudicando, ita vt sententia eius sit irrita.

63 **P**Rior pars huius Dubitationis pendet ex alia, quae 1. 2. quaest. 96. art. 4. dub. 6. tractanda est, Vtrum leges humanae, quae statuunt priuationem beneficij, vel officij, aut bonorum confiscationem, eam vim habeant, vt commissio criminis, beneficium vel officium statim vacet, & bona ad fisco pertineant; ita vt reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam.

Non vacat beneficium, aut officium.

Ad quam nunc breuiter Respondeo, proprie loquendo non vacare, nec teneri dimittere ante sententiam : etiam si in lege dicatur, ipso facto sit priuatus; nisi aperte constet illam fuisse legislatoris mentem: vt si addat, teneri in conscientia dimittere, vel non posse absolui, nisi dimittat, vel beneficium eo ipso vacare, ita vt alteri liberè possit conferri. vt in calu cap. Dudum. 2. de electione; cum quis accipit secundum beneficium incompatible, colligitur aperte ex D. Thoma 2. 2. quaest. 62. art. 3. & Caietano ibidem, Soto lib. 1. de Iust. quaest. 6. artic. 7. Adriano quodlib. 6. art. 1. Couarru. de matrim. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 9. & 13. & passim recentioribus. Vtrum autem vacet quando dicitur in lege, sit priuatus ipso facto absque alia declaratione, dubium est. Couarruuias & Dominicus Soto supra, & Henriquez de excomm. cap. 56. multiq; alij recentiores tenent non vacare, sed requiri sententiam declaratoriam criminis; illam autem clausulam absque alia declaratione, intelligendam de declaratione, qua declaratur poenam esse incursum, non autem qua declaratur crimen commissum. quae expositio etiam non nihil videatur violenta, tamen vsus ipse eam confirmat. ita enim sunt vsu receptae leges huiusmodi, vt ante declarationem criminis, possessores non teneantur resignare. imò vsus habet, vt nisi executio fiat per sententiam, ita vt per eam non solum declaratur crimen, sed etiam reus ipse priuetur beneficio vel officio, non censetur omnino priuatus, vt patet ex Couarruuiis supra. unde & leges illae, quae statuunt vt beneficium ipso Iure vacet, vt in Extraua-

gan. Ambitiosa, de rebus Ecclesiae non alienandis, non videntur receptae in illo rigore, vt sponte teneatur se reus spoliare.

Petes, Quam ergo vim habent huiusmodi constitutiones, quibus aliquis ipso Iure priuatur officio vel beneficio, siue propter crimen, siue propter ademptionem alterius incompatibilis?

64 *Quam vim habeant.*

Respondeo, Hoc efficere, vt statim amittat titulum ipsum, ita vt non sit amplius dominus beneficij, reuertit tamen possessionem, qua priuari non potest, nisi causa cognita, vt docet Glossa cap. Licet Episcopus. 28. de praebendis, in 6. Et quamuis illud caput solum loquatur in casu ademptionis beneficij incompatible; tamen Glossa & DD. quos ibi citat, volunt esse eandem rationem in ceteris, vbi quis ipso Iure priuatur. id enim ad publicam tranquillitatem est valde expediens. Titulum voco ius illud firmum, quod accepit per collationem, quo alius non poterat inuitus priuari: quo amisso, adhuc retinet possessionem beneficij, & totius iurisdictionis, quam ante habebat. & quidem si Iure permittente illam retineat, ita vt Ius non obliget ipsum ad eam deserendam, vocatur possessio iuris: si vero Ius resistat illi possessioni, obstringens reum ad illam deserendam, dicitur possessio facti.

65 *Priuant titulo, non possessione.*

Simili modo, quando bona ipso Iure confiscantur, vt in crimine haeresis, iuxta cap. Cum secundum leges. 19. de haeret. in 6. vel propter incestas nuptias, iuxta idem caput, & Authentic. Incestas, C. de incestis nuptiis; vel propter specierum illicitarum transuersionem, aut rerum vectorum omisam professionem; vt dict. cap. & aliis Iuribus habetur: in his inquam & similibus casibus statim amittitur ipsa rerum, quae dicuntur confiscari, vel in commissum cadere, proprietates, & illarum proprietates fisco acquiruntur, vt expressè d. cap. habetur: permittitur tamen possessio & vsus, donec secuta sententia declaratoria, haec quoque aufertur.

66 *Confiscatio priuat dominio.*

Hinc fit, vt executio retrorahatur vsque ad tempus commissi criminis. nam ex illo tempore, dominium seu proprietates in fisco translata est. & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipsum spectant. Sed de his plura 1. 2. quaestione 96. art. 4.

Ex his sequitur, sententiam, aliaque acta talis Iudicis non esse irrita, neque iudicium vsurparum, cum reuera adhuc iurisdictionem suam retineat, neque ab ea sit suspensus: etsi enim ius illud prius, quo illam Iurisdictionem obtinebat, amiserit; habet tamen adhuc ius possidendi, & vtendi eadem, donec per sententiam auferatur. Confirmatur, quia cum crimen sit occultum, vel certe non confiteretur per legem esse priuatum, si acta essent irrita, idem Reipubl. obueniret incommodum, quod sequeretur, si acta occultè excommunicati essent irrita: quod ex iis, quae nunc dicturi sumus, magis constabit. Quod ad alteram partem dubitationis attinet, omittis opinionibus, quas recenset Paludanus in 4. d. 17. q. 6. art. 2.

67 *Sententia non sunt irrita.*

Respondeo, Si habet titulum coloratum, & communi errore putetur legitimus Superior, eius sententiae & alij actus iurisdictionis sunt validi. Ita passim Doctores in cap. Nihil 44. de elect. & in L. Barbarius. 7. de officio Pratoris. Idem fuisse docet Paludanus supra, Caietanus v. Absolutionis im pedimenta, Nauarr. in cap. Placuit, de praeniten-

68 *Habentia titulum putatum, acta valent.*

nitentia, d. 6. numero 180. Medina C. de confessione, quaestione 22. Arragon. quaestione 60. artic. 6. & alij multi recentiores, qui id docent non solum de sententia & actis fori externi, sed etiam fori sacramentalis, de quo tamen longe magis dubitari poterat. Probat ex L. Barbarius Philippus. 7. de officio Praetorum; ubi expressè casus huius assertionis ponitur. cum enim iste Barbarius esset alibi condicione seruus, Romæ, ubi latebat eius conditio, & liber habebatur, promotus est ad praetoram, cuius tamen ob illud occultum impedimentum erat incapax, nihilominus approbantur eius acta, quæ gestit quamdiu latuit; idque ob utilitatem eorum qui apud ipsum egerant: & ratio additur, quia *populus Romanus*, cuius auctoritate hæc dignitas collata fuerat, potuisset etiam seruo hanc potestatem decernere. Idem probatur ex Gratiano 3. quaestione 7. cap. 1. ubi dicitur: *Si seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret; quamvis postea in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei iudicatae firmitatem tenet.* Ratio est; quia nisi huiusmodi acta essent valida, magna sequeretur in Republ. & populo Christiano perturbatio; omnes enim sententia, collationes officiorum & beneficiorum, praesentationes, electiones, & alia huiusmodi, deberent rescindi tamquam inualida.

Dua conditiones concurrere debent, Titulus & communis error.

Notandum est ex Panormitano in dict. cap. Nihil, Caietano supra, & aliis Doctoribus, duas conditiones debere concurrere, ut Iudicis putatiui acta valeant. Alteram ex parte ipsius iudicis, nimirum ut habeat titulum. Alteram ex parte populi, ut communi errore putetur legitimus Superior. vtrumque colligitur ex Iuribus citatis. quibus concurrentibus, ius ipsum confert iurisdictionem extraordinarie ad singulos actus, propter bonum commune. Debet autem hunc titulum habere à vero Superiore, vel saltem ab eo qui alias poterat illum dare, ut insinuat dict. L. Barbarius. nam approbantur acta illius; quia populus, à quo habebat officium, potuisset ei hanc potestatem decernere. & confirmatur; quia si non accepit ab eo qui poterat dare, iam non habet titulus ille colorem, quo verus videri possit; imò non est titulus, cum hic non nisi à Superiore dari possit. omnis enim iurisdictione à Superiore descendit, unde Caietanus collationem Superioris titulum vocat.

Titulus est collatio Superioris.

Hinc fit, ut si beneficium habeas ab eo qui non poterat dare; vel si solum sis electus, aut praesentatus; non autem acceperis institutionem, aut confirmationem, (quæ sunt collatio potestatis) nihil agas, ut qui sis intrusus; ut Panormitanus, Nauarrus, & alij docent. sufficit tamen in collatore titulus coloratus communi errori coniunctus, ut eius collatio sit valida. sicut enim alia eius acta valida sunt, ita etiam collatio iurisdictionis.

66 Accipiens Prælatum in excommunicatione.

Ex his sequitur Primò, Valida esse acta Prælati, qui accepit prælaturam in excommunicatione, irregularitate, vel alio impedimento occulto, ratione cuius collatio sit irrita, vel interuentu simoniae realis completæ, aut confidentiæ; si communi errore facti habeatur pro vero Prælate. Itaque valida erit sententia excommunicationis ab eo lata, & absolutio, & collatio beneficij, & delegatio iurisdictionis, &c.

Secundò, idem dicendum non solum de eo,

cui collata est potestas ordinaria, sed etiam cui delegata; præsertim si ad vniuersitatem aliquarum causarum, ut bene ostendit Paludanus supra; ut sunt Commissarij, Vicarij foranei, Pœnitentiarij, &c. quia horum iurisdictione non minùs spectat communem utilitatem, quàm Ordinariorum: imò plures ad ipsos causas deferuntur. Vtrum verò idem sit in Delegato ad causam particularem, dubium est. Quidam negant; quia non agitur de bono communi. Sed contrarium est verius; quod tenet Paludanus supra, circa primam opinionem, & alij DD. Idem docent etiam de sacerdote delegato ad confessiones. Confirmatur, quia dicto cap. Infamis, apertè agitur de Delegato; & quidem, ut videtur, ad causam particularem. Et quamvis singuli tales non deputentur nisi ad causas certas, nec de quorumlibet quaestionibus cognoscere possint; tamen maximi interest publicæ utilitatis, ut horum acta valeant, cum sæpè & variis casibus deputentur.

Accipiens delegatum ad vniuersitatem causarum.

Delegatio ad causam particularem.

Nec obstat quod habetur L. fin. C. Si à non competente Iudice iudicatum esse dicatur; ubi dicitur, *Et in priuatorum causis huiusmodi forma seruetur, ne quemquam litigatorum sententia, non à suo Iudice dicta, constringat.* quia intelligitur, quando non est occultum, non esse verum Iudicem: quod generaliter in omnibus causis, etiam publicis, verum est.

Tertiò, Eadem locum habere, etiam si Superior conferens officium vel iurisdictionem, sciat impedimentum alterius, aut collationem esse inualidam: modò ipse conferat quantum in se est, saltem actu externo, & communi errore populi putetur esse validum: quia si ipsius ignorantia non impedit iurisdictionem, multò minùs impedit scientia, quæ tollit inuoluntarium. Nec opus est ut ipse possit impedimentum auferre, ut rectè Paludanus supra: ut patet cum Episcopus confert illegitimo, vel occulto homicidæ beneficium parochiale. sequitur tamen ut supremus Princeps possit illud tollere, & personam efficere capacem. Vnde si sit impedimentum Iuris diuini, vel naturalis, nihil fiet: ut si sit femina, vel non sit Sacerdos, cui potestas absoluendi commissa est, communis error nihil iuuabit; quia potestas humana hunc defectum supplere nequit, nec vllò modo talibus hanc potestatem concedere.

Non refert an Superior sciat impedimentum.

Si impedimentum non possit auferri ab homine.

Quartò sequitur, Idem procedere, etiam si litigatores, vel quorum causa agitur, impedimentum sciant: quia hæc iurisdictione concessa est generationi, propter errorem communem: unde priuata scientia illam non impedit. Hinc absolutio data à Parocho, quem scis occultè simoniacum, valet, ut passim Doctores fatentur, nisi fortè tu alterius copiam haberes, vel extra necessitatem illum induxeris; & ita illi confitendo pecces mortiferè: quia tunc, etsi non sit irrita defectu iurisdictionis, est tamen ratione indispositionis pœnitentis.

Non refert an litigatores sciant.

Quintò, Idem dicendum esse, quando alicui iurisdictione occultè est ablata, & ille nihilominus se pro Superiore gerit, & communi errore talis habetur. Potest autem hoc quatuor modis contingere. Primò, Si ipso Iure beneficium vacet. Secundò, Si per sententiam ei sit abrogatum, vel si potestas Delegati reuocata. Tertiò, Si Delegans mortuus sit. Quartò, Si iurisdictionem Delegantis contingat suspendi.

67 Si iurisdictione occultè ablata.

Quod

*Si benefi-
cium ipso
Iure va-
cet.*

Quod ad primum modum attinet, ita tenet expressè Panormitanus in dict. cap. Nihil. Navar. in cap. Placuit. numero 118. Aragon. quæstione 60. artic. 6. Paludanus suprâ, Silvester v. Confessor, 1. quæstione 19. & passim Canonista. Ratio est, quia hic duo illa concurrunt, titulus publici officij, (vt quia ab Episcopo institutus) & error facti. Nec refert, quod titulus & possessio iuris ei sint adempta; quia id omnino occultum est; & non ita sunt adempta, quin adhuc aliqua reliquæ maneant. retinet enim possessionem facti, vt Nauarrus ait.

*Resp. ad
cap. Du-
dum.*

Nec obstat cap. Dudum. 22. de electione, vbi insinuat, absolutiones datas ab eo, qui simul plures parochiales Ecclesias retinebat absque dispensatione, fuisse irritas, eò quod obtenta secunda, vacet prior, iuxta dispositionem Concilij general. cap. De multa, de præbendis: quia publicè norum erat, illas vacare. Si id occultum ratione communis ignorantia fuisset, non fuissent irritæ; vt ibidem notat Panormitanus & alij. Nec refert, quod id proueniat ex errore iuris: modò sit probabilis, & causet errorem facti.

*Si per sen-
tentiam
abrogati,
vel expres-
sè reuoca-
turi.*

De secundo modo, etsi multi aliter sentiant, est tamen probabile valere. ita enim tenet Paludanus suprâ, circa primam opinionem; vbi id affirmat in eo, cuius commissio est occultè reuocata. & Henriquez libro 3. de penitentia cap. 6. vbi dicit valere absolutionem, si habet titulum coloratum, & non scitur de reuocatione. & lib. 2. cap. 4. valere confessiones factas virtute Bullæ, vel facultatis, quæ nescitur esse reuocata. Idem tenet noster Sancius libro 3. de Matrimonio, disputatione 20. nu. 58. citans pro ea Baldum, Iasonem, Corneum, Mascardum, Henriquez & Manuelem, qui primo tomo Summæ cap. 60. numero 3. dicit valere confessiones Religiosis semel approbatis factas, quamuis occultè facultate audiendi sint priuati. Ratio est, quia duo illa suprâ dicta hinc etiam concurrunt, titulus & error communis: institutus enim fuit ab habente potestatem, & ideo habetur adhuc verus Iudex, cum ignoretur reuocatio.

*Si morte
Delegantis.*

De tertio, Verius etiam est valere; quia etsi morte vel priuatione officij Delegantis expiret potestas Delegati, re adhuc integra, vt patet L. More. 5. 7. de Iurisdictione omnium Iudicum, & cap. Licet. 30. cap. Gratum. 20. cap. Relatum. 19. de officio Delegati: tamen quamdiu hoc communiter ignoratur, & ille se adhuc gerit pro Delegato; est eadem ratio, quæ in suprâ dictis. non enim hic magis est priuatus, quàm in primo & secundo casu; & tamen ibi valent acta, ob communem errorem: ergo & hic valebunt. Ita tenet Thomas Sancius, & multos pro ea citat Doctores. Et confirmatur, quia potestas Vicarij generalis magis dependet à Iurisdictione Episcopi, quàm potestas Delegati à Delegante: nam à Vicario ad Episcopum non est appellatio, eò quod sit vnum eorum tribunal, vna Iurisdictione, & veluti vna persona, vt apertè colligitur ex cap. 21. de consuetud. in Sexto. Vbi per Officialem Episcopi intelligitur Officialis generalis, vt Glossa communiter recepta exponit, quem vocamus Vicarium generalem. At à Delegato ad Delegantem est appellatio, vt ibidem Glossa affirmat: quia diuersum tribunal habent, & diuersi Iudices habentur. Hinc mortuo Episcopo expirat potestas Vicarij

etiam causâ integrâ, vt docent Ioannes Andreas, Dominicus, & Hostiensis in cap. 1. de officio Vicarij. in Sexto. & tamen valent acta Vicarij, & litera dimissoria ab eo data, si communiter mors Episcopi ignoretur, vt docet Henriquez lib. 3. de penit. cap. 13. neque desinunt istæ literæ valere, etiam si postea, re integra, sciatur mortem fuisse priorem, vt idem docet de Ordine cap. 22. & consentit Sancius suprâ.

De quarto non est difficultas. si enim suspensio primaria, quæ est in ipso Delegante, non innu- *Si Delu-
gans sus-
pendatur.* lidat actum ipsius, dum communiter ignoratur; multò minùs inuadit acta Delegati, qui solum secundariò suspensus est. quod intellige vt antè, si res vulgò ignoratur.

Sextò sequitur, Supradicta locum habere non solum in foro contentioso, sed etiam in sacramentali, vt docet Paludanus circa quartam opinionem, Nauarrus suprâ, & alij passim. quia eadem ratio boni communis id postulat: & Ecclesia defectum Iurisdictionis non minùs hic quàm in foro externo supplere potest, & vult, concurrente titulo colorato, & communi errore. Nec obstat, quod expressum Ius hac de re non habeatur; quia quod Iura disposuerunt in vno casu, id etiam intelligendum in alijs, vbi est par vel maior ratio, vt est in proposito. quod confirmatur, quia supposita potestate Ordinis, in reliquis, vtriusque fori est paritas: nec plus requirit hoc forum quàm illud: sufficit enim vtrique eadem Iurisdictione. vnde supposita ordinis potestate, quicumque potest soluerè & ligare in foro externo, potest etiam in interno, vt rectè Paludanus dixit.

Septimò, Supradicta procedere etiam in iis, quæ geruntur ex officio publico, quamuis non sint actus Iurisdictionis; vt in Instrumento tabellionis: in electione & presentatione ad beneficia & officia: in actu Parochi, assistentis contractui matrimonij. hic enim actus non est Iurisdictionis, sed exhibitionis præsentia sui, tamquam testis Iure requisiti.

Adde, non solum errorem communem, sed etiam probabilem DD. opinionem efficere vt Ec- *68
Probabi-
lis opinio
DD.* clesia det Iurisdictionem; etiam si forè opinio illa sit falsa, vt docet Henriquez lib. 2. de penit. c. 14. num. 3. & 4. & optimè Sancius suprâ numero 65. vt si probabile sit talem posse absoluerè à reuerentia, vel censuris, assistere matrimonio, excommunicare, eligere confessorem, priuilegium non esse reuocatum, & similia: & ille ex hac opinione operetur, validum erit, Ecclesia supplente defectum, si forè subit, cum enim licitum sit operari ex opinione probabili; si omnia illa essent irrita, grauissima incommoda sequerentur. Imò vt ait Panorm. in cap. Nihil 44. de electione, quem refert & sequitur Rosella v. Confessor, 3. in fine, & Silvester v. Confessor, 1. quæst. 19. Sancius num. 56. & sæpè iudicat Henricus, valent acta, etiam si populus dubitet, an Superior sit officio priuatus. Et ratio est, quia cum antè fuerit habitus Superior, non debent propter dubium superueniens eum reicere, cum in officio perseveret. in dubio enim nemo est suo iure spoliandus; quia melior est conditio possidentis.

Ex his patet, Etsi illi, qui solum habent titulum coloratum, possint generatim dici peccare usurpatione Iudicij, quia quantum in ipsis est, vsur-

vsurpant potestatem, quam non habent; non tamen sententia illorum est irrita; quia dum hoc attentant, Ecclesia iurisdictionem extraordinariè propter bonum commüne, in ipso actu suppeditat.

DUBITATIO IX.

Vtrum tyrannus peccet vsurpatione iudicij, eiusque sententia sint irrita.

69 **N**otandum est, alium esse tyrannum vsurpatione potestatis, (qualis est, qui absque vilo iure Rempubl. inuasit & oppressam tenet) alium vsu regiminis, cum aliàs sit verus Princeps, legitimam potestatem obtinens. Nos hinc loquimur de eo, qui vsurpatione potestatis tyrannus est, & iam in pace imperat, Rempubl. non amplius ei resistente, virium defectu. nam de vero Principe constat eum non peccare vsurpatione iudicij, modo secundum leges iudicet, etiam si aliàs tyrannicè gubernet.

Sotus lib. 3. quæst. 4. art. 6. docet, tyrannum, qui Rempubl. inuasit, non posse ferre vllam legem, nec Ius dicere, quod obliget in conscientia; ac proinde sententias eius esse irritas. Contrarium docet Franciscus Victoria, relectione de potestate ciuili, n. 23. Pro solutione

70 **R**espondeo & Dico Primò, Tyrannus huiusmodi peccat vsurpatione iudicij, Ius dicendo; sententia tamen ipsius sunt validæ, & tenentur ciues illis obtemperare, donec irritentur.

Prior pars probatur, quia iudicando vsurpat sibi potestatem Principis, & gerit se vt verus Princeps, cum tamen reuera non sit: ergo peccat vsurpatione iudicij: qui enim vsurpat sibi potestatem alienam, & intendit ea vt in iudicando, peccat vsurpatione iudicij.

Dices, Ille quidem peccauit inuadendo principatum, & illam auctoritatem sibi vsurpando; non tamen peccat postea, si ea debito modo, & vt Reipublic. expedit, vtatur: quia ea censetur esse mens Reipublic. Imò si omitteret Ius dicere, peccaret.

Respondeo negando secundam partem assumpti; quia non solum peccauit Rempubl. inuadendo, sed etiam postea assidue peccat tum ipse, tum eius heres, eam oppressam sibi que subiectam seruando; donec tandem vel spontè à regno suscipiatur, (quod fieri potest, si illud sit sui iuris, nulli alteri Principi obnoxium) vel longo temporum intervallo tandem nascatur præscriptio. ratio est, quia assidue iniuriam infert, & opprimit; sicut qui per iniuriam compingit aliquem in carcerem, non tantum peccat in principio, sed etiam postea, idque assidue, quamdiu voluntariè hanc calamitatem continuat. vt patet ex dictis cap. 12. dubit. 3. & 4. Cum igitur tyrannus continenter peccet Rempubl. oppressam tenendo, & sibi vsurpando principatum, etiam peccat iudicando; quia in hoc actu sibi assumit auctoritatem principalem, seque loco Principis gerit.

71 **A**duerte tamen, hoc non esse nouum peccatum, sed continuationem quamdam peccati antiqui; neque addere aliquam nouam malitiam mortiferam supra vsurpationem tituli principa-

tus; quia per hoc non fit noua iniuria, sed continuatur prior. imò magis peccaret, si quando res postulat, Ius non diceret, retento principatu; quia magis ciuibus noceret, & maiorem iniuriam irrogaret. sicut qui rem alienam detinet & ea vitur, peccat vtendo; tamen si iste vsus est rei vtilis vel necessarius, non addit nouam malitiam supra rei detentionem; & non vtendo magis peccaret.

Dices, Si peccat iudicando, ergo ciues non possunt ab eo Ius petere: non enim licet petere ab aliquo, quod ipse sine peccato præstare non potest.

Respondeo negando consequentiam; quia non petunt absolutè, sed sub tacita quadam conditione. Nempe si velit se gerere loco Principis; qua conditione posita, (sicut manifestum est eam poni) petitur id, ad quod ipse tenetur. quamuis enim peccet iudicando, magis tamen peccaret iudicium negligendo. Itaque non petitur nisi ex suppositione, & tamquam minus malum; quod eo modo petere est licitum. ita Caietanus in Summa v. Tyrannus, & alij.

72 **A**ltera pars, *Sententias eius esse validas*, probatur; quia eius sententia & iusta mandata, etsi non habeant vim à tyrannica potestate, habet tamen aliunde; primò & inchoatè à Iure naturali, quod, supposito tali rerum statu, dicitur esse obtemperandum, propter bonum commune; alioquin omnia essent plena furtis & latrocinii: secundò & completè à Republic. idque vel quia durante illo statu, tacito quodam consensu dat ei auctoritatem, dum vult vt ille iustitiam administret, & officio vsurpato, debito modo fungatur; vel potius quia tacitè approbat eius mandata & acta, legibus & vtilitatè communi consentanea, & vult sententias iustas, quibus lites ciuium dirimuntur, & fontes plectuntur, esse validas, & subditos obligari. nisi enim validæ essent & obligarent, nemo nisi in speciem obtemperaret; sed quisque occultè faceret contrarium, cum magno Reipublic. incommodo. Potest autem Rempubl. hanc vim sententiis & actis tyranni dare, quia est singulorum Superior, etiam si tyrannide sit oppressa, & iustas tyranni sententias pro suis habere.

74 **S**ecundò, Probant quidam; quia Romani oppresserant Iudæos per tyrannidem, & tamen Dominus Matth. 22. insinuat, Cæsari reddendum tributum. Verum credo neminem in conscientia teneri tyranno tributum soluere, nisi fortè causâ scandali, vel maioris mali vitandi: neque enim ratio naturalis id dicitur, neque Reipublica censetur id velle; quia expedit illum non abundare, vt facilius eius iugum possit excuti. Sententia Domini est generalis, solum significans, Principi reddendum quod ei debetur. non enim conueniebat, vt alterutram partem distinctè definiret.

75 **D**ico Secundò, Inferiores tamen Iudices à tyranno constituti, si eius tyrannidem non sustentent, aut iuent, non peccant Ius dicendo, modo alioquin omnia Iure agant. ratio est, quia nullam Reipubl. faciunt iniuriam, & ipsa Reipubl. posito hoc rerum statu, tacitè in illos consentit, cum illorum administratio in bonum commune cedat. Verum rarè fit vt Iudices inferiores non cogantur multa iniqua mandata & sententias dare & exequi: vnde non faciliè excusantur, qui huiusmodi officia suscipiunt. Hinc patet quid dicendum de

de iis qui in Hollandia tyrannidem occupant.

76 *An homicida.* Petes, Vtrum tyrannus peccet peccato homicidij, & teneatur ad restitutionem, si fontes secundum ordinem Iuris interficiat, aut bonis spoliat?

Respondeo negatiue; quia Respub. tacite ad hoc tribuit illi auctoritatem, dum consentit & cupit ut ita faciat. Itaque solum peccat in hoc actu, quatenus in eo se gerit ut Princeps, continuans auctoritatem antea assumptam.

Dices, Etiam si Respublica concedat illi tacite ad hoc auctoritatem, tamen hac non intendit uti, sed ea tantum, quam sibi assumpsit, quam reuera non habet: ergo occidit illum auctoritate priuata; ac proinde est homicida, & tenetur ad restitutionem, sicut quilibet alius priuatus, fontem occidens.

Respondeo, Tyrannus non excludit eam auctoritatem, quam Respublica ad huiusmodi actus illi concedit; sed intendit uti omni sua auctoritate, quam habet: & ita occidit illum auctoritate publica. vnde non est homicida, nec tenetur ad restitutionem.

DYBITATIO X.

Vtrum Iudex possit condemnare reum, qui per testes legitime est probatus criminiosus, v. g. homicida; quem tamen certo nouit innocentem.

D. Thomas quaest. 67. art. 2.

77 **S**uppono, in tali casu teneri Iudicem omnes vias & rationes inire, quibus possit eum liberare; ut impediendo accusationem, si potest, saepe & per interualla examinando testes, an nihil varient; extrahendo iudicium, aperiendo carcerem, si commodè & sine scandalo fieri potest. Si his rationibus non potest eum iuuare, debet Iudex inferior causam remittere ad Superiorem, & deposita Iudicis persona assumere officium testis apud Superiorem, si putet eum hac ratione liberari posse, ut docet Caietanus quaest. 67. artic. 2. & indicat D. Thomas quaest. 64. art. 6. ad tertium. Sed difficultas est, si his modis non possit illum liberare, & pars aduersa urgeat condemnationem. Multi Doctores docent, Iudicem tunc posse illum condemnare secundum allegata & probata. Ita D. Thomas quaestione 67. artic. 2. & eius discipuli, & plerique Theologi, & Couarruias lib. 1. variar. cap. 1. numero 6. & alij multi, quos ipse citat. Fundamentum praecipuum est, quia Iudex non iudicat ut persona priuata, sed ut publica; ergo non debet sequi priuatam, sed publicam scientiam.

Dico Primò, Hæc sententia est probabilis, quia plurimos Auctores, eosq; doctissimos habet, quorum auctoritas sententiam probabilem & securam reddit.

78 *Innocentem non posse condemnari.* Dico Secundò, Contraria nihilominus videtur verior, nempe Iudicem nullo modo posse talem innocentem ad mortem condemnare, sed potius debere officium dimittere, etiam si hoc modo nihil esset reo profuturus. Tenet hoc Nicolaus Liranus in cap. 23. Exodi, explicans illud, *Innocentem & iustum*. Adrianus quodlib. 6. artic. 3. Angelus v. Iudicare, num. 7. Petrus Nauarra cap. 3. num. 161. Item, Hostiensis, Calderinus, & Pa-

normitanus in cap. Pastoralis, 28. de officio Delegati. & multi alij, quos citat Couarruias supra numero 3.

Probat, quia humana auctoritate directe & ex proposito occidere innocentem, est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam: ergo sicut non potes reddere debitum huic mulieri, quam certo nosti non esse tuam coniugem, etiam si millies probeatur esse tua vxor; ita non potes hunc morte damnare, quem nosti vacare culpa. Nec obstat, quòd probeatur esse in culpa; hoc enim nihil detrahit eius innocentia, nec facit eum digniorem pœna: ergo ob id non potest puniri.

Quòd autem sit intrinsecè malum, probatur Primò, Quia per se malum est adimere alicui vitam sine auctoritate; atqui Iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis, cum hæc soli Deo sit subiecta: ergo Iudicem eam adimere, per se malum est. Secundò, Si Iudex habet hanc auctoritatem condemnandi innocentem, id ei concessum est propter bonum Reipublicæ: atqui ob nullum Reipub. bonum, etsi in proximo periculo versetur, licet directe innocentem occidere, ut ostensum est supra cap. 9. dub. 7. ergo multò minùs licebit ob hoc periculum remotum, & cui alia ratione potest obuiari.

Dices, Licetum est indirectè occidere innocentem; ut cum in oppugnatione vrbs dirigitur tormentum in locum, vbi multi sunt innocentes: atqui hic innocens occiditur indirectè; quia non intendit illum occidere, sed procurare bonum publicum, seruando legum præscriptum. Ita quidam.

Respondeo, Esse valde disparem rationem: qui enim urbem oppugnat, ius habet dirigendi tormenta in quamuis partem vrbs, quæ ei vita fuerit; quo iure non potest priuari per hoc, quòd aliqui innocentes ibi constituantur. Deinde datur hic actus distinctus ab occisione innocentis, quem actum ille directe intendit; cui solam indirectè & per accidens coniuncta est occisio innocentis. qui autem condemnat innocentem, non habet ius ferendi sententiam in hunc hominem, cum hoc ipsum sit directe occidere hominem innocentem. neque intendit aliquem actum distinctum ab occisione innocentis, cui ipsa per accidens sit coniuncta, sed ipsammet occisionem.

Dices, Intendit seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum, cui per accidens coniuncta est occisio innocentis: sicut qui occidit alterum causâ defensionis sui, intendit conseruationem sui, cui per accidens & indirectè coniungitur occisio inualoris. Ita Caietanus.

Respondeo, Seruare iudiciorum ordinem, & bonum publicum in hoc casu, non est quid distinctum ab occisione huius hominis. nam directe per huius occisionem intenditur hæc conseruatio; imò conseruatio ordinis iudiciorum, & consequenter boni publici. Illud autem exemplum ex parte nobis fauet, qui enim seipsum defendit, directe intendit saltem læsionem alterius grauem (si aliter non possit se expedire) tamquam medium necessarium ad sui conseruationem. vnde si Iudex eodem modo intendit mortem vel mutilationem innocentis, non est dicendus eam solum per accidens & indirectè intendere. Adde, minore esse coniunctionem inter occisionem inualoris & conserua-

Discrimen
Occisio innocentis per se intenditur.

feruationem vitæ defendentis, quàm inter occisionem innocentis, & confervationem ordinis iudicarij; quia condemnatio & occisio innocentis putatur formaliter esse confervatio boni publici. His adde, quando Iudex interficit fontem ex allegatis & probatis, de quo nescit contrarium, directè intendit illum priuare vita, eò quòd tale crimen de illo probatum est: ergo similiter quando infontem interficit, intendit illum directè priuare vita, quia crimen de illo probatum est. Sanè non video, quo modo possit quis imaginari, Iudicem, qui eum ad mortem condemnat, & iubet interfici, non intendere eius mortem, aut eum non interficere nisi per accidens. non enim refert, quòd inuitus & dolens id faciat; quia omnibus consideratis, absolute vult & facit.

80
Cur sequenda
notitia
publica.

Tertiò probatur, quia ratio naturalis ideò dicitur Iudicem debere sequi notitiam publicam per allegata & probata acceptam, ne facile aberrerit aut discedat à veritate & iustitia in iudicando: hæc enim est ratio illius legis & obligationis: ergo quando ei est omnino euidens, iudicium fore iniustum si sequatur probata & allegata, non debet nec potest ex illis iudicare: nulla enim lex feruari debet, quando ex eius obseruatione sequeretur id, quod est intentioni & fini legis contrarium.

Quartò, Si Iudex certò sciret se non habere auctoritatem in reum, non posset eum iudicare, etiam si multi testarentur illum habere, & ei mortem minarentur nisi faceret. similiter si sciret factum non mereri penam iuxta legem: ergo neque etiam poterit, quando certò scireum esse penitus innocentem. Pater consequentia, quia ad condemnandum aliquem morte, non minus requiritur veritas criminis in reo, quàm vera potestas in Iudice, & vera æquitas in lege, secundum quam debet iudicari.

81

Quintò, Fieri potest vt multorum conspiratione integrum Monasterium accusetur, & testibus conuincatur de prodicione Reipubl. de idololatria, de sodomia, & similibus grauissimis criminibus; & Iudex certò sciat illorum innocentiam: quis non horreat dicere, illum tunc posse & teneri viros innocentissimos equis discernere, vel flammis tradere, ob calumnias & minas perditorum?

Sextò, Fieri potest vt ipse Iudex accusatorem & falsos testes apposuerit, & postea non possit illorum impetitionem impedire; poteritne etiam tunc illum condemnare?

Septimò, Si lex aliqua statureret, vt qui per calumniam oppressus est, condemnatur, etiam si Iudex sciat illum innocentem esse, talis lex esset iniusta; & æquas aures offenderet: ergo illud ipsum opere exequi est iniquum.

Octauò, Denique hæc sententia probari potest ex illo Exodi 23. *Infontem & iustum non occides, quia auerfor impium.* Respondent quidam, illum, qui conuictus est per testes, non esse infontem; quia publica opinione habetur fons & improbus. Sed contra, Opinio & calumnia aliorum non possunt me facere fontem aut dignum pœna; alioquin Susanna fuisset dicenda fons, quam tamen Scriptura Danielis 13. vocat innocentem.

82
Confecta
ria.

Ex his sequitur Primò, Iudicem non posse innocentem illum condemnare ad mortem, etiam si officium suum deberet amittere: imò etiam si ipse alioquin occidendus à populo foret: quia est intrinsecè malum. Idem videtur dicendum de pœ-

na mutilationis, vt præter alios (teste Siluestro v. Iudex 2. quæst. 5.) etiam docet Raymundus in sua Glossa, dicens, *debere Iudicem potius omnia mala tolerare, quam condemnare talem ad mortem aut mutilationem, etiam ad præceptum Superioris, vel exponere condemnandum.* quia etiam in hac pœna homo non est subiectus dispositioni Reipublicæ, ita vt Respubl. possit eam innocenti inferre, nisi ob veram culpam.

Sequitur Secundò, Etiam ministrum iustitiæ 83 non posse mandare executioni sententiam mortis Executor sententiæ. vt mutilationis, quam certò nouit esse iniquam, sicut enim intrinsecè malum est, te iubere occidere eum, quem scis innocentem; ita malum est, te hæc iussa exequi. Confirmatur, quia subditus, qui certò nouit bellum esse iniquum, non potest inscribi, & militare, (quod est sententiam Principis contra hostes exequi) etiam si Princeps iubeat: ergo similiter si sciat certò hunc inique damnatum, non potest sententiam exequi. Secus tamen si non esset moraliter certus de innocentia, vel iniqua damnatione: tunc enim debet credere potius Superiori, quàm sibi. Caietanus tamen q. 67. a. 2. in fine, & Couart. l. 1. variar. c. 1. n. 10. putant ministrum posse exequi, si aliàs deberet officium suum amittere, nisi sententia sit notoriè iniqua: & probant ex c. Pastoralis, ad quod infra respondebimus.

Sed difficultas est, Vtrum hæc etiam locum habeant in causis ciuilibus & in criminalibus, vbi non agitur nisi de pœna pecuniaria, vel exilij, vel priuationis officij aut beneficij? Liranus, Angelus, Panorm. & quidam Canonistæ putant idem in his causis dicendum. Sed contrarium est verius. vnde Dico Tertio, In causis ciuilibus & criminalibus minoribus, quando Iudex certò scit alteram partem falsis probationibus niti, tenetur quidem omni industria curare vt falsitas detegatur, vel vt processus impediatur; tamen si id non potest efficere, potest ex illis probationibus sententiam ferre. Ita ferè sentiunt ceteri DD.

84
De causis
ciuilibus.

Probatur Primò, Quia Respublica habet auctoritatem disponendi de fortunis suorum ciuium, easque de vno in alium transferendi, prout bono publico expediens fuerit; vt patet ex legibus vsucapionum: atqui hinc videtur esse iusta causa; tum ne forma publicorum iudiciorum cum populi scandalo peruertatur; tum quia non suppetit ratio, incommodum huius hominis auertendi: ergo potest statuere, vt Iudex in tali casu formam publicam iudiciorum sequatur; etiam si inde fiat, vt fortunis eum spoliare debeat, quem priuatim innocentem, vel bonam causam habere nouit.

Secundò, Quia nemo ciuium id meritò potest ægrè ferre, aut queri sibi iniuriam esse factam à Iudice per talem sententiam, cum videat se ab illo iuuari non posse; neque par esse vt Iudex officium potius deserat, quàm sententiam ferat.

Tertiò, Quia hæc bona possunt recuperari: nec ita per sententiam illis priuatur vt eorum dominium amittat, vt rectè docet Arragon. quæst. 60. artic. 5. in fine, & Soras l. 3. de Instit. q. 4. art. 5. & alij DD. non enim ea est mens Reipublicæ, nec esse iuste potest, cum sententia falsis probationibus nititur: id enim esset absque necessitate calumniatoribus fauere. Itaque potest ea occultis modis recuperare ab eo, cui sunt adiudicata. Hoc tamen intellige de re pecuniaria, non autem de officiis & beneficiis. cum enim aliquis per sententiam legitimo Iuris

ordine datam, his priuatur, verè amittit dominium, & possunt alteri validè conferri, vt docet Sotus supra de beneficiis. Panorm. in cap. 1. de concessione præbendæ. Innocentius in cap. Quia plerique. 8. de immunit. Eccles. & alij etiam de officiis. nam eadem quoad hoc est ratio officiorum ac beneficiorum; hæc enim sunt bona publica, de quibus Ecclesia vel Respublica potest liberius disponere, quàm de bonis priuatorum. Itaque quando causa subest, potest non solum eorum possessione, sed etiam dominio priuare. hinc autem iusta causa suppetit; tum ne dominia & iurisdictiones sint incerta, quæ res sæpè perturbat hominum cœtus; tum quia is qui spoliatus est, non potest ea recuperare clandestinè, sicut alia bona, sed debet à collatore accipere; qui nihil faciet, nisi publicè de eius innocentia constiterit. quòd si contingat de ea postea constare, potest Ecclesia ei aliter compensare, aliud beneficium ei conferendo. In bonis autem fortunæ sufficit vt spoliatus possidat. vide infra c. 31. dub. 1.

85 Ex his patet Primò, Immeritò Couarruuiam supra numero 7. §. Secundum, dicere, Non posse dari congruam distinctionem in præsentis negotio inter causas ciuiles & criminales: cum enim Respublica possit disponere de rebus, de quibus sunt causæ ciuiles, non autem de vita & membris, de quibus sunt potissimum causæ criminales; mirum non est, si possit statuere in illis, vt seruetur forma iudiciorum contra priuatam scientiam; non autem id possit in his. Secundò, Si quis in iudicio peteret hereditatem ex testamento, quod Iudex priuatim nouit esse supposititium, tamen id nullis iudiciis probari potest, Iudicem posse illam hereditatem ei adiudicare: imò ad hoc cogitur à Principe. Tertio, Possè quem condemnari ad pœnam infamiæ, si illa crimini statuta sit. nam hoc ipso, quo probatus est criminofus, nec vlla patet amplius ratio effugij, possessionem famæ amisit, & causam infamiæ contraxit. vnde Iudex proferendo sententiã, quam declinare non potest, non videtur aliquid noui irrogare, quod in causa non exuterit: nam potius est declaratio eius quod probatum est, quàm nouæ pœnæ inflictio.

86 Sed contra propositionem Obijcitur Primò, Deut. 17. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur.* & Marth. 18. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.*

Respondeo, Tantum vult dicere, non sufficere vnum testem, sed requiri vt minimum duos, vt quis possit interfici. non tamen mens Domini est, vt quodcumque adfuit duo testes, possit quis occidi, etiam si Iudici constet illos calumniari, & reum esse innocentem; sed solum vult declarare, quid regulariter fieri possit, nempe quando Iudex non nouit contrarium.

Obijcitur Secundò, Ex D. Ambrosio Serm. 20. in Psalm. 118. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & Jura pronuntiat, statuta Jura obtemperat, non indulget propria voluntati, nihil paratum & mediatum domo defert; sed sicut audita iudicat, & sicut se habet negotij natura decernit; obsequitur legibus, non aduersatur, examinat merita causa, non mutat.*

87 Respondeo, Verba ista non habere difficultatem. Nihil facit ex arbitrio suo, non quod non debeat vt magna industria, testes examinando seorsim, minando, promittendo, differendo iudicium, mittendo ad Superiorem, quæ omnia ex priuata

scientia facit; sed quia debet pronuntiare sententiam ex legum præscripto, non contrà: vt si lex irritat contractum, debet pronuntiare irritum, si iubet esse ratum, debet pronuntiare esse ratum; si constituit crimini certam pœnam, non potest eam mutare, præsertim in grauiorem. *Iudicat sicut audit,* nempe regulariter, quando non constat ei de contrario. Item, quia nunquam iudicat contra id quod probatum est. *Nihil mediatum adfert,* quia non statuit de sententiã, nisi omnibus auditis. nimis profectò rigidè interpretatur, qui hæc verba ita accipit, quasi Iudex in omni prorsus euentu nihil debeat agere, quàm iudicare secundum audita. Patres enim loquuntur de officio Iudicis, prout regulariter exerceri debet, sepositis extrinsecis circumstantiis, quæ rarissimè incidunt.

88 Obijcitur Tertio, Iudex non iudicat vt persona priuata, sed vt publica: ergo non potest sequi priuatam scientiam, sed teneat sequi publicam.

Respondeo, Hinc benè sequi, Iudicem ex priuata sententia non posse auctoritate iudiciaria condemnare & absolueri; (nisi fortè in casu aliquo, de quo dub. sequenti) non tamen hinc consequens est, eum teneri sequi publicam scientiam in condemnando, quando certò nouit illam scientiam nihil esse aliud quàm iniquum errorem & calumniam: cum hac enim rationabili exceptione intelligendæ sunt huiusmodi generales sententiæ, ne id quod pro iustitia seruanda introductum est, detorqueatur ad iniuriam.

89 Obijcitur Quarto, Si nostra sententia vera est, facile poterunt Iudices corrumpi pecunia, vt dicant se certò scire reum esse innocentem, & ita eum absoluant, vel certè non puniant: quod cedet in magnum Reipublicæ damnum.

Resp. Rarissimè, vel numquam accidet vt Iudices velint subire magnum illud discrimen, quod illis impendet, si verè criminofus, qui iuridicè probatus est talis, liberauerint. difficile enim est sustinere tam apertum mendacium, quod honorem accusatoris & testium tantopere attingit: quòd si id aliquando contingeret, non esset sanè tanti momenti, vt ad illud euitandum, etiam innocentes sint damnandi. melius enim est decem nocentes absolui, quàm vnum innocentem damnari.

Adde, Iudicem, præsertim inferiorem, ex priuata 90 scientia nõ posse absolueri vel damnare, vt dictum est. quamuis enim debeat non damnare, non tamen potest ex auctoritate absolueri; sed potest illum detinere in carcere, donec habeat opportunitatem

emittendi, aut certè remittere ad Superiorem. Quòd autem quidam obijciunt de scandalo populi, parum vrget; nam facilè cauere potest, vel certè curari, vt careat iusta ratione, si reus vel detineatur ad tempus in carcere, vel remittatur ad Superiorem; vel si Iudex sit supremus Princeps, poterit interposito iureiurando apud populum, eius innocentiam testari. ferinum enim esset post tanta testimonia & innocentie signa, vitam miseri hominis persequi.

Obijcitur Quintò, Cap. Pastoralis. §. Quia verò, 91 de officio & potestate Iudicis delegati, Innoc. III. ait, *Attendentes, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem, respondemus, quod cum Ordinarius teneatur obsequi Delegato, etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem.*

Respondeo, Pontifex ibi loquitur de eo, qui merus est executor, & nullam habet causæ cognitionem.

nem. hic tenetur exequi sententiam Delegati, quam scit esse iniustam, id est, contra ius litigatoris; quia cum litigator non appellet, videtur cedere iure suo; vel agnoscere crimen. si enim putet sibi iniuriam fieri per sententiam Delegati, debet ab eo appellare ad Papam. Non tamen potest eam exequi, si sciat esse nullam; vt si esset lata auctoritate falsarum litterarum, vel per falsa Instrumenta, vel per dolum aduersarij; tunc enim debet supercedere executioni. Ita Glossa. quæ expositio fauet nostræ sententiæ. Adde, Pontificem hic loqui de causis Ecclesiasticis, in quibus agitur de iis rebus quæ subsunt Ecclesiæ dispositioni: vt de priuatione beneficij, officij fructuum, &c. non de supplicio capitis vel mutilationis.

DUBITATIO XI.

Vtrum Iudex possit aliquem ex priuata scientia, aut certe non citatum & auditum condemnare.

92 *Inferior non potest.* S^uppono, inferiorem Iudicem nullo modo id posse: quia non potest dispensare in legibus ad ordinem Iuris pertinentibus, quatuor duntaxat sunt præcipuæ. Prior, Vt nemo condemnatur inauditus. Altera, Vt nemo condemnatur sine testibus; iuxta illud Deut. 17. *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur.* Imò nec in aliis minoribus, etsi merè sit Iuris positiuus, dispensare potest, v.g. vt accusatio non fiat in scriptis, vt non detur certus terminus reo ad respondendum. Ratio est, quia inferior non potest dispensare in legibus Superioris. Itaque tota difficultas est de supremo Principe.

Principem ex priuata scientia posse, quidam putant. Quidam sentiunt, hunc posse ex priuata scientia, etiam contra fidem actorum, sententiam proferre tam condemnatoriam, quam absolutoriam. Ita Couarru. lib. 1. variar. cap. 1. num. 7. Idem docent Cynus, Barolus, & alij in L. 1. C. Vt quæ desunt aduocatis partium, Iudex suppleat. Albericus in L. Illicitas. §. Veritas. 7. de officio Præsidis, & Felinus in cap. Pastoralis. §. Quia verò. Probatum Primò, Quia supremus Princeps potest dispensare in illo Iure, quo statuitur, vt ex allegatis & probatis sententia feratur, cum non sit naturale, sed positiuum. Secundò, Quia Principi supremo non minus credendum est, quam duobus vel tribus testibus; ac proinde ipsius iudicium & scientia æquiualeat scientiæ publicæ, quæ censetur esse in duobus vel tribus testibus.

Sed contrarium est verius, vnde 94 *Contrarium verum est.* Respondeo & Dico Primò, Probabilius & verius est, supremum Principem non posse aliquem reum condemnare ex sola scientia sua priuata. Ita Caietan. v. Homicidium, in principio. Nauarrus cap. 25. num. 9. Sotus lib. 5. de Iustitia q. 1. art. 3. & colligitur ex D. Thoma q. 67. art. 3. ad 3. vbi dicit, *eumdem hominem non posse esse simul Iudicem, accusatorem, & testem.* Probatum Primò, Quia quod solus Iudex vidit, censetur adhuc occultum in iudicijs humanis; vnde reus potest negare, (in sensu tamen vero) si de tali crimine rogetur: ad hoc enim ius habet, vt omnes passim fatentur: non enim tenetur ad mentem Iudicis respondere, nisi quando iuridicè interrogatur. Itaque grauis ei fieret iniuria si de tali crimine puniretur. Confirmatur, quia tollitur ei iusta sui defensio: potest enim se defendere, quamdiu crimen non est probatum; & maxime si probari nequeat. Deinde, quia vsurpatur in

illum potestas iudicandi, cum solus Deus sit occultorum Iudex, vt passim Canones tradunt; cap. Erubescant. d. 32. cap. Consulisti. 2. q. 4. & cap. Tua nos, de simonia: quibus locis est sermo de occulto quod testibus probari nequit, etsi in opus externum prodij.

Secundò, Quia Iudex, sicut ex potestate publica, ita etiam ex publica scientia iudicare debet: actus enim publicus debet à potestate, voluntate & notitia publica, tamquam à causa sibi commenturata procedere, vt rectè Caiet supra.

Tertiò, Princeps non habet maiorem potestatem quam sit ea, quam Respubl. in illum transfudit: nam omnis potestas Principis est à Repub. atque Respublica nusquam gentium, vbi non est regimen tyrannicum, hanc potestatem Principi dedit, vt pro suo iudicio reos posset absolueret tamquam innocentes, vel damnare tamquam nocentes, contra publicas probationes: id enim esset ei licentiam exercendæ tyrannidis, & omnia pro sua libidine exercendi, dare.

Quartò, Vt sententia feratur ex publicis probationibus, non est merè Iuris positiuus, in quo Princeps possit dispensare; sed est Iuris gentium, quod apud omnes est receptum, & sub cuius onere & obligatione Respublica censetur suam potestatem in Principem transfuisse; ita vt si Princeps non obferuer, iam manifestè videatur declinare in tyrannidem. nihil enim videtur magis tyrannicum, quam condemnare & absolueret contra publicas probationes iudiciorum. Hinc patet responsio ad priorem rationem.

Ad alteram Respondeo, Etsi Principis assertio 95 in testamentis & contractibus possit æquiuale pluribus testibus; non tamen in causis criminalibus, quando agitur de aliquo condemnando; maxime si probationes sunt in contrarium. & quamuis minus incommodi sit, posse absolueret ex scientia priuata, quam posse condemnare; tamen verius puro, nec absolueret posse auctoritate publica; tum quia hæc potestas non est ei necessaria ad liberationem innocentis: (sufficit enim impedire progressum iudicij, vel testari apud populum sub iureiurando innocentiam accusari, eò quod tali tempore illum viderit tali loco, cum talibus, &c.) tum quia absolutio iudiciaria ex publica notitia procedere debet, secundum formam Iuris apud omnes receptam. Potest tamen dici, absolueret reum auctoritate priuata, quia iudicat & testatur non esse condemnandum; & habenda est ei fides, vt qui fide sit dignissimus. sed hoc nihil est aliud, quam priuata auctoritate defendere innocentem; vnde etiam cuius priuato, qui id posset, liceret.

Aduerte tamen, sententiam contrariam non esse 96 improbabilem, maxime si crimen sit atrox, ita vt valdè expediat auctorem puniri, & tamen non conueniat rem vulgari ob infamiam coniunctam: vt si aliquis vim Regiæ vel filia Regis intulerit, solusque Rex id sciat; tali enim casu videri possit Respublica consentire, quod vt melius intelligatur,

Dico Secundò, Respublica posset Principi 97 concedere auctoritatem, vt ex priuata scientia absolueret & condemnare possit. Probatum, quia potest cedere iure suo, quod habet ad famam circa occulta: item iure, quod habet vt de occultis non possit ab homine puniri, & hoc totum ius conferre in Principem: ergo tunc Princeps absque villa iniuria poterit de occultis, de quibus ipsi certo

Potestas Principis à Repub.

Principis assertio æquiualeat pluribus in contractibus, & testamentis.

96

97 *Potest Respubl. hanc potestatem dare.*

constiterit, punire. & quamuis hæc cessio Iuris esset contra rectam gubernationem, eò quòd Princeps vel malitià vel ignorantia facile posset peruersè iudicare, & hoc Iure cum magno Reipubl. damno abuti; tamen non esset contra iustitiam; nam quiuis iure suo cedere potest. Vnde nec Princeps peccaret sic puniendo ex priuata scientia, quando causa subesset digna tali pœna. Confirmatur, quia in quibusdam Religionibus ita iure suo cessere subdii, vt à Superioribus suis ex priuata scientia puniri possint, saltem pœnis modicis: cur non idem fieri possit in Republica, absolutum ius suo Principi concedente, etiam in magnis? imò si Princeps esset eius sanctitatis & sapientiæ, vt neque fallere neque falli facile posset; prudenter id ei à Republica concedi posset, vt si talis esset, qualis erat Moyfes vel Apostoli.

98
Si malum auertendum.

Dico Tertio, Quando non agitur de puniendo crimine, sed de auerendo in posterum malò, quòd Reipub. vel innocenti intentatur, potest Princeps ex priuata scientia, si alia ratio non suppetit, tubere interfici auctorem. Pater, quia hîc non agit vt Iudex auctoritate publica puniens, sed vt quiuis priuatus, se aut rem sibi commissam defendens.

99
Condemnare non potest non auditum.

Dico Quarto, Princeps quantumuis sit certus de crimine, non potest ordinariè condemnare, nisi citatum & auditum, est communis DD. ratio est, quia contrà facere, esset auferre arma reo, quibus se Iure potest defendere, negando crimen, si est occultum: vel certè excusando eo modo, quo poterit. vnde Iure gentium hoc receptum est. imò videtur esse Iuris naturalis, nam Clement. Pastoralis, versus finem dicitur; *De crimine graui delato, facultas defensionis, quæ à Iure naturali prouenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quæ Iuris naturalis existunt.* Sed sæpè in vtroque Iure, id quod propriè est Iuris gentium, dicitur Iuris naturalis, vt ostensum est cap. 5. dub. 3.

100
Quando possit condemnari reus non auditus.

Dixi ordinariè, quia in quibusdam casibus id non est necesse seruare. Primo, Si crimen est publicum, vt rectè Nauar. c. 25. n. 10. sic latrones reperti in crimine, interdum è vestigio suspenduntur, sine vlla defensione aut processu. ratio est, quia factum notorium seu publicum, est loco accusatoris & testium, nec relinquit illi ius vllum defendendi sui in iudicio.

Secundò, Quando esset periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, si iuridicè procederetur; vt idem Nauarrus docet, & Siluester v. Homicidium. 1. q. 2. ex Archidiacono; vt si esset valdè potens. tunc tamen debet eius causa priuatim discutì; nisi sit omnino euidentis.

Tertio, Quando quis machinatur Reipubl. vel priuatis perniciem, quæ aliter auerti nequit, vt antè dictum est. Sed hoc non tam est punire crimen commissum, quàm impedire malum impendens.

101

Quarto, Si crimen soli Principi & tribus aliis notum sit, ita vt iuridicè probari possit: tunc enim posset occultè interfici reus, sine citatione & probationibus, si publicè absque graui aliquo incommodo puniri non possit. ratio est, quia quando crimen sic est probabile; manifestum est, reum non habere iustam vllam defensionem in iudicio. Ita Petrus Nauarra num. 192. & Arragon q. 67. art. 2. qui pro eadem sententia citat Gregorium Lopez. Idem sentit Couar. lib. 1. variar. c. 2. n. 7. & Iurisperiti supra citati.

102

Notandum est, ea quæ diximus de non con-

demnando ex priuata scientia, vel non auditum, potissimùm intelligenda de condemnatione ad mortem vel mutilationem; tamen videntur etiam habere locum in priuatione bonorum, officiorum perpetuorum, carcere, exilio, vt notauit Nauarrus supra: nam eadem ferè rationes accommodari possunt.

DUBITATIO XII.

Quot modis Iudex iuridicè procedat aduersus crimina.

Respondeo, Communiter poni à DD. tres modos: vel enim procedit via *accusationis*, vel *denuntiationis*, vel *inquisitionis*. habetur expressè cap. Qualiter & quando. 2. de accusationibus. *Via accusationis* procedit, quando est aliquis actor, qui spondet se obiecta probaturum. *Denuntiationis* verò, quando aliquis deulit crimen, qui non vult suscipere onus probandi. hoc enim differunt accusator & simplex denuntiator, quòd accusatori incumbat onus probandi; denuntiatori minimè. Est autem duplex *denuntiatio*, quædam dicitur *Euangelica*, quæ tendit ad emendationem fratris, & fit Superiori tamquam patri: de qua 2. 2. q. 32. de correptione fraterna. Alia *Judicialis*, quæ spectat vel punitionem criminum, ob bonum commune, vel certè mali damniq; impeditioem, & fit Superiori tamquam Iudici.

Via *inquisitionis* proceditur, quando Iudex seu Superior ex officio procedit ad purgandum Prouinciam, vel ad locum aliquem suæ iurisdictioni subiectum reformandum, vel ad inuestigandum criminis commissi auctorem.

Dicès, Iudex non potest aliquem condemnare sine accusatore, vt docet D. Thomas q. 67. art. 3. ex D. Ambrosio: ergo tantùm potest via accusationis procedere.

Resp. Iudicem non posse condemnare sine accusatore generatim accepto: nam semper requiritur accusator formalis vel virtualis. Virtualis dicitur id quod vices accusatoris supplet. Vicem eius supplet in criminibus contra bonum publicum, simplex denuntiator; in priuatis si sint notoria, ipsa facti euidentia. Imò hæc in omnibus delictis supplet vicem accusatoris, testis, & totius processus iuridici, si etiam Iudici cum hac, ipsa persona sit notoria, vt docet Caietanus q. 67. art. 3. Si autem non sint notoria, & per denuntiationem Euangelicam procedatur, tunc ante contumaciam reus puniri non potest: vnde non opus est accusatore. post contumaciam potest iuridicè contra illum procedi; & tunc ipsa contumacia Iudici & aliis quibusdam nota, est loco accusatoris. Si autem procedatur per inquisitionem, tunc infamia, vel indicia locum illius supplet. Ita Sotus de secreto, membr. 2. quæst. 6.

Aduertendum tamen est, commodius poni tantùm duos modos procedendi contra criminosos, alterum *ex officio*, alterum *ad instantiam partis*. denuntiatio enim non est per se aliqua distincta via procedendi, sed est quiddam prauium vt Iudex procedat ex officio; vt rectè docet Iulius Clarus lib. 5. §. Practica criminalis. q. 3.

Ex officio procedit, quando præcedente aliqua infamia, vel denuntiatione, capit informationes, &

&c

103
Triplex via procedendi in Iudiciis.

104

Vicem accusatoris suppletia.

105
Commodius ponitur duplex via.

& format inquisitionem contra auctorem, vt sic ad plenam probationem & sententiam perueniat.

Ad instantiam partis, quando pars offensa, vel alius, ad quem id iure spectare potest, accusationem porrigit, & Iudex ea admissa, secundum eius probationes procedit. quando igitur Iudex agit ex officio, procedit per inquisitionem: dum ad instantiam partis, per accusationem.

106
In quibus procedatur ex officio.

Modus procedendi ex officio, seu per inquisitionem, extendit se ex dispositione Iuris Canonici ad omnia crimina, secundum Archidiaconum in cap. Felicis. §. vlt. de penis in 6. In omni enim genere criminum possunt Iudices per inquisitionem procedere. Idem ex consuetudine seruatur in foro ciuili. vnde in quibusdam Regnis via inquisitionis adeo est ordinaria, vt altera, nempe accusationis, non admittatur, nisi in paucis causis. In regno enim Neapolitano nemo admittitur ad accusandum, nisi suam vel suorum iniuriam exequatur. Et in regno Franciæ prohibita est accusatio omnis ad vindictam publicam tendens, & solum permittitur pro interesse ciuili. vnde in omnibus causis criminalibus proceditur per viam inquisitionis, vt docet Clarus supra n. 6. ex Guilielmo de Bened. & Practica Millæi.

DUBITATIO XIII.

Quando procedit Iudex via inquisitionis generalis, vtrum debeat precedere infamia persone vel delicti.

107
Triplex inquisitio.

NOtandum, esse triplicem inquisitionem. Prima est *Omnino generalis*, qua in genere inquiritur, an subditi seruent leges, an non committantur crimina, an de nullo sit fama vel suspicio alicuius criminis. hac vtuntur Prælati & Superiores in visitatione Prouinciæ & locorum subiectorum.

Secunda est *Omnino specialis*, qua de certa persona & de certo crimine quaeritur, v. g. an Petrus commiserit simoniam, furtum, &c.

Tertia est *Mixta*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona: vt, quis fecerit istud homicidium, an Petrus seruet statuta vel ordinationes synodales. His positis,

108
Inquisitio generalis.

Respondeo & Dico Primò, Vt Iudex faciat inquisitionem omnino generalem, non est necesse vt aliqua infamia præcesserit, est communis DD. sententia. Probatur Primò, Quia in Iure præcipitur Prælati Ecclesiasticis, & Superioribus, vt suo tempore faciant visitationes & inquisitiones generales, vt patet cap. Perniciosa. 1. de officio Iudicis ordinarij: *Habeant Episcopi singularum urbium, in suis diocesis liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, vlcisci & iudicare.* Glossa tamen putat hic agi de inquisitione speciali, quæ sit præcedente infamia: sed potest etiam intelligi de generali. Item cap. Romana. 1. §. Sanè, de censibus, in 6. *Proposito verbo Dei quaerat de vita & conuersatione ministrantium in Ecclesiis.* vbi aperte agitur de inquisitione generali. Probatur Secundò, Quia talis inquisitio est necessaria ad purgandam Rempublicam, moresq; in cæteribus hominum reformandos. Tertiò, Per eam nulli fit iniuria, cum de nemine in particulari fiat inquisitio. Nec refert, quòd hac

ratione detegantur occulti peccatores; quia id per accidens & præter intentionem inquirentis contingit: & alias bonum commune huic incommodo anteponendum est. Denique nisi talis inquisitio fieret, multa crimina manerent impunita; (quæ tamen puniri omnino expedit, ne criminosi inualescant) nemo enim ea sponte deferret.

Dico Secundò, In hoc tamen casu interrogati subditi, non debent patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant. est communis sententia DD. D. Thomæ q. 69. a. 2. & Caietani in illum art. Soti, de tegendo & retegendo secreto, membro 2. q. 6. Nauarri, cap. Inter verba, conclus. 6. v. 2. 1. & in Rubr. de iudiciis, n. 87. & colligitur ex cap. Qualiter & quando, supra. Ratio est, quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur: atqui Iudicis potestas non se extendit ad elicienda occulta; maxima enim inde incommoda in Republ. sequerentur. Itaque etiam si sub iuramento, vel sub pœna excommunicationis præcipiat vt dicas veritatem de eo quod nosti; tamen non teneris: sed potes cum restrictione mentali dicere; te nescire quidquam: intelligendo tacite, te nescire eo modo vt teneris patefacere. de quo supra c. 11. dub. 20. & infra cap. 30. dub. 6.

109

Occulta non debent panti.

Sed difficultas est, Vtrum etiam obligentur non manifestare, ita vt peccent contra iustitiam, si in hoc casu crimina occulta aperuerint. Videri possit alicui, saltem quando crimen probari potest in iudicio, non peccare contra iustitiam eos, qui illud in huiusmodi inquisitione patefaciunt Superiori: nam eo euentu ius habent accusandi vel denuntiandi auctorem. Quicumque enim vel testibus vel aliis indicis crimen probare potest, non peccat contra iustitiam, si illud Iudici denuntiet: expedit enim bono publico, vt omnibus hac potestas detur. generatim enim loquendo, infamia & punitio, quæ priuato inferitur, abundè compensari videtur exemplo publico & timore, qui aliis iniicitur, per quem sibi à peccando cauent. Idem confirmari videtur ex praxi totius orbis, vbique enim consueuerunt tales deferri, non solum quando generalis inquisitio instituitur, & subditi interrogantur, sed etiam sponte à non rogatis; vt docet Clarus q. 7. Nihilominus communis ferè DD. sententia est, id illicitum est, quando ad solam punitionem tenditur: tunc enim debere præcedere infamiam, vt colligitur ex cap. Qualiter, supra. Nec obstat praxis orbis contraria: nam multi hac in re peccant per ignorantiam. Multi etiam non tam punitionem spectant criminosi, quàm emendationem, vel mali impeditionem & auersionem; quo casu denuntiatio est licita, etiam si non præcesserit infamia, vt passim DD. tradunt.

110

Si potest probari.

His addo, Quando crimen nullo modo probari potest, aperte contra iustitiam peccari, si illud aperias; quia nullum ius habes illius patefaciendi. cum enim non possit probari, non potest quoque puniri, ac proinde non potest ex eius reuelatione aliud sequi quàm infamia.

Excipe tamen duos casus, quibus potest Superiori patefieri, etsi omnino occultum sit. Prior est, quando id putatur esse necessarium ad ipsius emendationem: tunc enim aperiendum Superiori, non vt Iudici, sed vt patri; vt sua prudentia & auctoritate illum emendet. Alter est, dum aliquod malum spirituale vel temporale impendet ab aliquo,

111

112
Occultum potest aperiiri duobus euentis.

quo, quod commodè auerti non potest, nisi Superioris opera; tunc enim non est habenda ratio famæ; vt dictum est supra cap. 11. dub. 9.

DVBITATIO XIV.

Vtrum quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, Iudex possit inquirere quis fecerit.

113
Sententia
Cates. &
Soti.

Multi docent id non esse licitum: Caietanus q. 69. art. 1. & 2. & Sotus de secreto, membro 2. quest. 6. dub. 4. & quidam alij. Primò, Quia Canones vetant ne procedatur per inquisitionem, nisi de auctore sit fama, vel certè indicia, cap. Cum oporteat. 19. de accusat. Nisi super prædictis famam ipsius la fam esse noueritis, ad inquisitionem illorum non subito procedatis. Idem habetur cap. Inquisitionis. 21. & cap. Qualiter & quando 24. eodem tit. Secundò, Si licet in genere inquirere malefactorem, sequeretur quòd ipse malefactor, si fortè interrogaretur, teneretur seipsum prodere; quod nemo concedat. Sed contrarium videtur verius, vnde

114
Si crimen
sit publicum.

Respondeo & Dico Primò, Quando manifestum est crimen, Ius est Iudici quærere in genere quis fecerit, non tamen in particulari an Petrus fecerit, nisi de eo sit aliqua fama vel indicia. Ita Siluester v. Correptio, n. 6. Nauar in cap. Inter verba, conclus. 6. num. 15. in Enchir. cap. 13. numero 40. Innocent. in cap. Bonæ. 1. de electio. n. 5. Item nota, inquit, quod sic seruat totus mundus, quod contingente maleficio notorio, statim inquiri iudex generaliter, non contra certam personam: & facta inquisitione, vocat nominatos in inquisitione de maleficio, vt se defendant: & quod longam interpretationem recipit ex iteratione factorum, mutari non debet. Idem tenent Panormitanus & Imola ibid. & alij. Probatum Primò Ex praxi communi Iudicum tam Ecclesiasticorum quam sæcularium, quam durum est condemnare. Secundò, Nisi tales inquisitiones fierent, duo grauissima mala in Repub. sequerentur: nam & populus grauiter offenderetur, videns Iudicem non inquirere auctorem aperti criminis, putaretque eum maleficio fauere; & malefici spe impunitatis inualescerent. Tertiò, Quia nemo potest queri sibi factam iniuriam per hanc generale inquisitionem, imò tota Respub. illam desiderat.

115

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo, In illis Canonibus agi de inquisitione speciali, qua inquiritur de Petro vel Paulo; non autem de ea, qua in genere quæritur, quis fecerit; vt patet ex ipso textu.

Dices, Inquisitio illa, qua Iudex quærit in genere quis fecerit, non minus præbet occasionem reuelandi crimina occulta, contra ordinem charitatis & iustitiæ, quam inquisitio specialis, qua quæritur an Petrus fecerit: ergo est iniqua.

Non refert
quòd occultum de-
rogatur.

Respondeo, Quòd occulta crimina detegantur, id non prouenit ex ipsa conditione interrogationis; sed ex imperitiis eorum qui interrogantur; qui nescientes Iura, putant se teneri occulta patefacere. Verùm propter tale incommodum per accidens proueniens, non debet omitti inquisitio, tantopere bono publico necessaria; cum hæc secundum se talis sit vt nemini iniuriam irroget.

Neque Iudex Inquisitionem faciens tenetur instruere rudiores ne auctorem detegat, si fortè nulla infamia laboret; id enim redderet eum suspectum corruptelæ, vel fauoris in criminofum; sed potest simpliciter inquirere sicut videt bono publico expedire. quòd si occultus auctor detegatur, poterit contra eum procedere, nec damnus secutum ei imputabitur, vt rectè Nauarrus in Rubric. de Iudiciis n. 87. quia Iure suo vitur. hoc ipso enim, quo criminis auctor est publicè detectus, (etiã si id ab altero iniquè factum sit) potest contra eum informationes accipere, & particularem inquisitionem facere, & conuictum punire: modò tamen ipse per iniuriam non sit causa illius detectionis. atqui hic non est causa detectionis per iniuriam; nam propter bonum commune potest talem inquisitionem instituire: nec tenetur cum offensione populi cauere, ne interrogati occultos auctores patefaciant; sed potest illud permittere: nam bonum commune præponderat priuato, præfertim hominis noxij, & supplicio digni. Itaque illa iniusta detectio nec directè nec indirectè censetur illi voluntaria; ac proinde contra talem criminofum ita iniuste detectum potest procedere. Simili modo potest inquirere in eum, cuius crimen cum antea esset occultum, iniuste per aliquem in sermones publicos est deductum: nisi fortè per reuelationem confessionis id factum esset, tunc enim nullo modo posset procedere. vide Sotum de secreto, membr. 3. q. 1.

116

Ad secundum argum. Respondeo, Etsi Iudex possit interrogare, non tamen inde sequitur, reum, si fortè interrogetur, teneri seipsum patefacere; certum enim est, Iudicem in crimine læsæ Maiestatis posse interrogare seu inquirere, reum tamen ante infamiam vel templanam probationem non teneri seipsum prodere. Nec obstat, quòd D. Thomas in Capitulo generali Parisijs, dicitur respondisse, occultum auctorem teneri se prodere ad præceptum Prælati, quando notorium est crimen, v. g. furtum esse commissum: quia tunc solum erat Baccalaureus, & ceteri Magistri ei contradixerunt, vt refert Siluester v. Correptio, num. 6. vnde

117

Dico Secundo, Etsi Superior in hoc casu, vt officio suo satisfaciatur, possit sub iuramento generatim inquirere à subditis quis fecerit; subditi tamen non tenentur patefacere auctorem, si nulla laboret infamia, & nihil mali in posterum timeatur. Prior pars patet ex dictis. Altera est communis sententia DD. & colligitur ex Canonibus suprædictis. Ratio est; quia Superior non potest obligare subditos vt reuelent occultos peccatores, sed solum vt eos qui infamia aliqua laborant multò minus occultus peccator tenetur se ipse prodere. Nec obstat factum D. Gregorij epist. 30. lib. 5. qui sacra communione interdixit cuidam, qui libellum famosum sparserat, nisi se prodederet. & excommunicat eundem, si se non prodens accedat sacram Communionem, vt habetur 5. q. 1. c. Quidam maligni: nam infamator ille tenebatur alterius famam reparare, vel certè probare quæ in libello habebantur, quorum neutrum sine sui patefactione fieri poterat. potest enim quis obligari ad se prodendum, quando id necessarium est ad falsæ infamiæ iniquè irrogatæ absterisionem; quamuis non sit necesse illam detectionem fieri coram Iudice.

118

Subditi
non tenentur
patefacere, si
est occultum.

Notandum tamen, si crimen adhuc esset perpetrandum, vel continuandum, vel si ex eo graue dam-

119

dam-

damnum alicui impenderet, quod alia ratione non posset commodè auerti; interrogatus posset, & etiam deberet auctorem patefacere, etsi omnino occultum & nulla infamia laborantem, & Iudex posset opportuna remedia adhibere, vt dictum est dubit. superiore.

120 Petes, Quid si Superior sub iuramento interroget, & absque vlla restrictione iuraueris te patefacturum quidquid nosti de facto & auctore?

Resp. Eo casu non teneris patefacere, nisi quod absque iuramento licite posses, vnde non teneris, si auctor penitus est occultus, & per occultam monitionem corrigi potest. Secus si de illo est rumor, vel si aliter non putatur emendandus. Pari modo, etsi sub pœna excommunicationis præceperit, non teneris, nisi de illo sit aliqua fama, vel nisi damnū alicui inde impendat. de tali enim est huiusmodi præceptum intelligendum. Ita Siluester supra & passim alij DD. Cui addiderim, vel nisi alia ratione non speretur emendandus; quia tunc tenetur etiam absque præcepto Superioris: ergo poterit ei præcipi sub pœna excommunicationis.

DUBITATIO XV.

Vtrum ad inquisitionem specialem necesse sit infamiam præcedere.

121 **R**espondeo, Communis sententia DD. est, Vt Iudex possit contra aliquem in situere inquisitionem specialem tendentem ad punitionem criminum, debere præcedere aliquam infamiam auctoris. Dico Tendentem ad punitionem: quia ad malum impediendum, vt quando agitur de beneficiorum & officiorum collatione, vel de matrimonio contrahendo, licitum est inquirere de impedimentis, vel delictis personarum particularium, etsi nullus de illis sit rumor. omnia enim alioquin erūt plena incestis, sacrilegis vel nefariis coniugijs, & prauis rerum sacrarum & ciuiliū ministris. debent tamen tunc crimina Superioribus aperiri secretò, & quàm minima fieri potest fama laesione. Similiter, quando inquisitio fit ad maleficia impedienda & eorum occasiones tollendas, non requiritur infamia; vt ad auertenda homicidia, sacrilegia, furta, hæreses, & similia. vide Nauarrum in Rubr. de Iudicijs n.92.

122 **P**robatur hæc sententia ex cap. Inquisitionis, §. Tertia, de accusatione vbi dicitur, *Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non labore infamia, seu clamosa insinuatio non processerit, puniendum. quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere: cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* & cap. Qualiter. 2. eodem titulo; *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem charitativa monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire.* idque probatur ibidem exemplo villicij Euangelici Luc. 16. qui primò infamatus est apud dominum suum; deinde dicitur ei, *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tue.* & exemplo Sodomorum Genes. 18. de quibus Dominus ait, *Descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Ratio est, quia Iudex, quando ad punitionem criminum procedit, debet ex scientia publica procedere: scientia autem publica est; quæ habetur per accusationem vel confessionem rei in iudicio, vel per infamiam,

Scientia publica.

aut per facti euidenciam in conspectu Iudicis & aliorum. Confir. quia meritò quisque posset queri sibi fieri iniuriam, si in vitam eius iuridicè inquireretur, cuius fama alioquin est integra: nam per talem inquisitionem redditur suspectus.

Petes, Quanta debeat esse ista infamia?

123

Quanta infamia.

Respondeo, Non sufficere vt duo vel plures etiam iurati affirmet se vidisse illum crimen commitentem, vt expresse habetur cap. Inquisitionis; quia adhuc res est occulta, ac proinde minime per publicam inquisitionem prodenda: sed requiritur vt rumor de eo sparsus sit per maiorem partem viciniae, vel Collegij, vel Vniuersitatis in qua commoratur, vt dicatur ibidem infamia laborare, vt rectè docet Sotus de secreto, membro 2. q. 6. §. Tertium dubium, ex Bartolo. Idem ferè Caiet. q. 69. artic. 2. vbi requirit vt sit vox publica & frequens, per quam apud viros probos & prudentes meritò reddatur suspectus. quòd si constaret à maleuolis & maledicis ortam esse infamiam, non sufficeret; vt patet ex d. cap. In dubio tamen quibus auctoribus orta sit, indicenda est purgatio, saltem propter scandalum; vt notat Glossa in d. cap. Inquisitionis.

Notandum tamen est, excipi aliquot casus à DD. quibus non requiritur ad specialem inquisitionem infamia præuia de illo crimine.

124

Quando non requiritur infamia si confessus in iudicio.

Primus est, Si quis confessus sit crimen occultum in iudicio, etiam coram paucis; vt coram solo Iudice & Notario; vt colligitur ex cap. 1. de accusat. in 6. nam talis confessio inducit notorium Iuris. Idem dicendum, etiam si solum incidenter illud confessus sit, vt communiter tradunt Iurisperiti cum Bartolo in L. 2. §. Si publica. 7. ad L. Iuliam, de adulterijs. Neque refert, vtrum illud, quod sic confessus est, sit circumstantia delicti, de quo agitur, an distinctum delictum: nam etiam si sit omnino distinctum, Iudex contra illud procedere potest, vt rectè docet Nauarrus in Rubr. de Iudicijs num. 86. contra Sotum. Non tamen sufficit confessio extra iudicium, etiam si coram multis facta sit, nisi ex ea orta sit infamia, vt vult Nauarrus supra: etsi putem contrarium seruari in praxi, vt infra patebit dub. 17. nu. 157. Neque ea, qua facta est metu tormentorum, si postea tamquam metu facta reuocetur. Neque ea, quæ facta est coram Pralato incogitante, aut in aliqua epistola secreta, quam Pralatus aperuit, vt vult Sotus de secreto, membro 2. q. 6. & consentit Nauarrus supra.

Secundus est, Quando Iudici per generale inquisitionem procedenti, patefactus est auctor: tunc enim potest contra eum procedere, vt docet Nauarrus supra n. 87. contra Sotum: estque communis sententia Iurisperitorum in L. 2. §. Si publico. 7. de adulter. Nec refert, quòd testis forte peccauerit reuelando, eò quòd nulla esset infamia: quia ex quo crimen deductum est in publicam Iudicis notitiã, siue bene, siue male, ille tenetur contra illud procedere per particularem inquisitionem, & punire, vt idem contra Sotum docet, & patet ex dictis supra. Confir. quia si priuatus quispiam extorsisset crimen alterius per iniuriam, & deduceret illud in publicum, vel in Iudicium, Iudex deberet contra illud procedere, vt idem Sotus fatetur, membro 3. q. 1. cur non etiam dum per iniuriam detegitur à priuato in iudicio?

125

Si patefactum in generali inquisitione.

Aduerte tamen, casus suprascriptos non esse propriè excipiendos à regula illa generali, qua dicitur,

126

li 4 Absque

Absque infamia non esse speciatim inquirendum; quia notorium Iuris vel facti plus est quam infamia. unde si præcedente infamia licet, etiam licet cum res est notoria.

Si commissum in iudicio.
127 Tertius est, Quando delictum commissum est in iudicio: ut si testis falsum deponat in iudicio, si accusator calumniatur, aut prævaricetur, aut tergiversetur. Ita Nauar. n. 88. ex Specul. Bart. & aliis. Ratio est, quia hæc crimina censentur valde noxia bono publico, eò quòd iustitiam iudiciorum publicorum vel evertant vel impediunt. unde merito ex iudiciis & vehementi suspitione contra ea procedi potest.

Si contra bonum publicum.
128 Quartus est, In crimine hæresis & apostasiæ; in his enim sine accusatore vero vel ficto, (id est, qui vicem accusatoris suppleat) etiam sine infamia, inquiri potest, ut docet Nauarrus nu. 93. & colligitur ex cap. Excommunicamus. §. Adjicimus, de hæreticis, & L. Apostatarum. 4. C. de Apostatis. Ratio est, quia hæc crimina sunt maxime noxia Reipubl. ab his enim semper impendet aliis periculum euerfionis. requiritur tamen aliqua suspicio orta ex iudiciis non leuibus.

Crimen læsa maiestatis.
129 Quintus est, In omni crimine læsæ maiestatis humane, ut constat per Extrauag. Frederici Imperatoris, quæ incipit, Ad reprimendum, & habetur post librum feudorum. In hoc crimine ante illam Extrauag. non poterat procedi sine infamia vel notorietate; post eam potest, ut ait Bartolus in dictam Extrauag. v. Inquisitionis, quod Nauarr. nu. 94. sic intelligit, ante illam non potuisse procedi ad inquisitionem illius criminis iam perpetrati, nisi quis de eo esset infamatus, vel manifestus: post illam, posse procedi etiam ex suspitione: ut si vnus vel plures suspicerent de aliquo, & id Iudici nuntient. tunc enim Iudicem posse procedere ad inquisitionem, seu informationem secretam, tendentem ad punitionem.

Suspicio communitis.
130 Sextus est, Quando inquiritur in morte domini contra seruos: ut si dominus inueniatur occisus, & nesciatur auctor; iuxta L. 1. §. ad S. C. Silanianum, & contra nautas nauis submersæ; iuxta L. Quoties. 3. C. de naufrag. quia etsi nulla aliquorum hominum fama sit contra illos seruos vel nautas, tamen est quædam populi de illis suspicio. Idem dicendum quandocumque est suspicio populi vel communitatis contra aliquem; hæc enim supplet vicem infamiæ. ut docet Nauarrus ex Antonio de Butrio, Abbate, & Arcino num. 95.

Præcipua difficultas de praxi Iudicum secularium.
131 Sed præcipua difficultas est, Vtrum in aliis casibus licitum sit Iudici ad inquisitionem specialem procedere; & consequenter, Vtrum probanda sit praxis Iudicum secularium, qui ex denuntiatione publici officialis ad id muneris deputati, vel alicuius priuati, aut ad querelam partis offensa, quæ tamen onus probandi in se suscipere non vult, procedunt ad capiendas informationes & indicia; quibus habitis formant libellum inquisitionis. Ex doctrina enim communi Theologorum & Canonistarum, videri possit alicui hæc praxis damnanda; qui docent sine præiua infamia, vel æquipollenti, non posse procedi ad inquisitionem. quod probatur Primò, Ex Canonibus citatis. Secundò, Probat Nauarrus, quia lege diuina & naturali prohibemur inordinatè detrahere proximo, aut dare causam detrahendi. Tertio, Quia eadem lege prohibemur scandalizare proximum: at publicatio peccati occulti est proximi scandalizatio. Quarto,

Eam esse damnandam, argumenta.

Quia licet regulariter utilis sit Reipubl. criminum punitio, id tamen verum non est, quando crimina sunt occulta, & non est accusator verus vel fictus. tunc enim utilior est Reipubl. quæta conseruatio famæ & honoris subditorum, quam punitio, qua turbatur Reipubl. & illi priuantur maximis suis bonis, honore & fama. Hinc infert, legem de non damnando sine infamia, vel alio æquipollenti, esse naturalem & diuinam, ac proinde nulla contraria consuetudine posse abrogari.

Verius tamen existimo, illam praxim non esse damnandam, si circumspectè & secundum leges, vel consuetudines in Prouinciis receptas fiat; idque in grauib. causis; (vt in furtis, homicidiis, sacrilegiis, incestibus, alijsve criminibus Reipubl. turbantibus) & non ad nudam punitionem, sed quia censetur necessarius bono Reipubl.

Hæc sententia sic limitata & explicata probari potest Primò, Quia est praxis Iudicum secularium Deum timentium in omnibus penè Prouinciis, & maxime per Italiam recepta, vt testatur Iulius Clarus quæst. 3. neque tamena à Summo Pontifice vel Episcopis idcirco reprehenduntur, aut censentur in malo statu.

Secundò, Quia ita sentiunt doctissimi Iurisconsulti cum Bartolo in L. 2. §. Si publico. & ad L. Tulliam, de adult. Cardin. Alciatus in cap. 1. de officio Iudicis ordinarij, Angelus in L. Si vacantia. C. De bonis vacant. & alij.

Tertio, Vt non fiat inquisitio sine infamia auctoris præiua, non est Iuris diuini aut naturalis, sed est Iuris positiuum humani, vt fatetur Sotus, de decreto, memb. 2. q. 6. dub. 2. unde infert, *Papam in Ecclesia, & Principem in suo foro posse ex causa rationabili in eo dispensare*: atqui Ius humanum potest contraria consuetudine legitime præscripta, (vel etiam absque præscriptione, Principe sciente & non contradicente) aboleri: ergo hoc Ius merito potest videri aboluitum in secularibus tribunalibus, si tamen vnquam fuit ibi receptum.

Quartò, Si essent frequentissimi criminosi, à quibus Reipubl. graniter perturbaretur, postlet fieri lex, vt quotiescumque fuerint duo vel tres testes contra aliquem, infligeretur ei pœna legis, absque alio accusatore vero vel ficto, vt docet Sotus supra, & Nauarr. in Rubri. de Iudiciis, num. 89. cum ait, *Papam & Imperatorem ex iusta causa posse inducere novos casus, in quibus possit specialiter inquiri sine accusatore vero vel ficto*: ergo similiter potest lege vel consuetudine statui, vt Iudex possit inquirere testes, etiam si non sit præiua infamia, & instituere fiscalem, qui accuset. nulla enim videtur ratio, cur si illud fieri potest, non possit etiam hoc, cum vtrouique absque infamia procedatur.

Quintò, Etiam si esset Iuris naturalis, vt non fiat inquisitio absque præiua infamia; id tamen esset intelligendum, nisi Reipubl. vel ipse inquirendus cessaret iure suo. quòd enim illud sit illicitum, id prouenit ex Iure, quòd quisque haber ad famam suam; quo iure si cessaret, non erit illicitum: atqui Resp. videtur cessisse iure suo, dum probat tales inquisitiones, easque cupit fieri: ergo non sunt illicitæ.

Sextò, Hic modus videtur necessarius ad plurimas iniurias maleficiaque prohibenda, & ad innocentiam illæsam præstandam. cum enim pauci sint qui velint accusare, & sæpe ex maleficio non sequatur infamia; sine metu, improbi viris probis, simplicibus & Religiosis, iniurias & damna infe-

132
Non esse damnandam.

133
Vt infamia præcedat, est Iuris positiuum.

134

135

135
Est necessarium ad bonum publicum.

inferent: quam ob causam multis locis constituuntur publici officiales, qui denuntiant Iudicibus ea quae viderunt vel audierunt, & indicent à quibus plenior informationem habere possint: quae res mirificè maleficos coërcet. etsi enim sibi persuadeant, eos qui iniuria affecti sunt, aut alios qui interfuerunt, non accusaturos, tamen valdè metuunt, ne per hunc officialem ad Iudicem res deferatur; qui deinde plenior informationem à testibus oculatis accipiet.

136 *Iudex non potest ex se incipere.* Aduerte tamen Primò, Iudicem non posse vquam de seipso incipere inquisitionem, sed semper debere aliquid præcedere, quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem cogat vt ex officio procedat: vt notitia publica, infamia, suspicio communis, querela partis, denuntiatio officialis, vel alterius, aut simile quiddam; alioquin totus processus est Iure nullus, vt docet Clarus q. 5. num. 4. Vnde non potest procedere ex delatione facta ei non vt Iudici, sed vt priuato; vel incerto auctore, vel suppresso nomine, etiam si in schedula nominarentur testes, qui noscent factum, vt idem docet, & exemplis declarat. quod idè statutum est, ne Iudices possint pro arbitrio impetere quos volent; & quia illis casibus idem est accusator & Iudex, quod iure gentium reprobat.

137 *Confessio sponte facta.* Nec obstat cap. Postquam. 1. de accusat. in 6. vbi dicitur, puniendum reum ex confessione coram Delegato facta, etiam si dicat se diffamatum non fuisse; quia ille Delegatus non processerat ad causam ex seipso, sed ad eam fuerat deputatus. vnde necesse est vt ibi præcesserint indicia. Deinde ille liberè confesatur cõfessus coram suo Iudice; nihil enim erat quod illi cogeret, cum posset excipere, ex libera autem confessione damnari quis potest.

138 *1. Debet constare delictum.* Secundò, Antequam Iudex inquireat de persona, priuatas informationes capiendò, debere aliquo modo ei constare de crimine, an sit commissum, vnde si crimen relinquat vestigium, vt incendium, homicidium, perfolio domus, debet ea prius inspicere, vel curare inspicere, prout fert rei conditio. si autem non relinquat, sufficit denuntiatio vel querela, ad capiendam informationem de auctore.

139 Tertio, Vbi iam constat de delicto commisso, si nihil sciatur de auctore, potest de eo generatim inquirere, & habito aliquo indicio, vocare illum ad se defendendum, instituturus contra illum inquisitionem particularem. vt docet Clarus q. 5. ex Innocentio, & aliis. Neque prædictis obstat communis doctrina Theologorum & Canonistarum, (à qua in re tanti momenti non facilè recedendum) qui docent, non esse procedendum ad inquisitionem specialem, nisi præuia infamia: quia id intelligendum est quando solùm intenditur punitio criminis, neque inquisitio putatur necessaria ad bonum Reipub. & mali compressionem: hoc autem prædicta sententia non negat. & hoc modo ista sententia videntur posse conciliari.

Ad argumenta. Ad primum argumentum, qua parte prædictis aduersari videtur, Responderi potest Primò, Canones illos loqui de Iudice Ecclesiastico: hic enim non debet procedere ad inquisitionem absq; præuia infamia & clamorosa insinuatione, qua sapius ad aures ipsius res deferatur. In cap. enim Cum oporteat, instruit Pontifex Archiepiscopus Tarracensem, quo modo debeat procedere contra Episcopum Vicent. In cap. Inquisitionis, instruit Episcopum Gebennensem, quomodo in causa Epi-

scopi & Canonicorum Valentiniensium. Denique in cap. Qualiter, Concilium generale instruit Prælatos, quomodo ad subditorum excessus inquirendos & puniendos debeant procedere. vbi etiam Concilium requirit, vt non semel tantum, sed sæpè clamor Iudici rem insinuet. vnde videri queant hæc ad Iudices sæculares non extendenda. Ideo enim absque præuia infamia Prælati non debent inquisitionem instituere, præsertim contra personas Ecclesiasticas: tum quia harum infamia plus scandalizat sæculares, quàm castigatio edificet: tum quia facilius correptione fraternæ emendari solent: tum denique quia Prælatorum potius est in spiritu lenitatis subditos quosuis, etiam sæculares, corripere, quàm asperitate pœnarum seruire. vnde Canones iubent vt non ad primam famam insinuationem inquirent; sed tum demum, quando sæpius eorum aures pulsauerit: quod tamen minimè necessarium videtur in Iudicibus sæcularibus. Rursum iubent, vt depositiones contra eum, qui infamia non laborat, minimè recipiantur, etiam si tres vel plures iurati affirmet se vidisse illum crimen committentem; vt patet cap. Inquisitionis: quod etiam minimè locum habet in Iudice sæculari. hic etiam statim per suum fiscalem debet causam prosequi, etiam si tantum sint duo testes iurati; alioquin à Principe punietur. Denique iubent vt accusationem præcedat legitima inscriptio, & inquisitionem clamorosa insinuat: at si hoc in foro externo seruaretur, rarò possent delicta puniri: rarissimi enim sunt, qui se velint inscribere; id est, sub pœna talionis suscipere onus probandi. Imò in multis regnis nõ permittitur, nisi in suis & suorum iniuriis, vel in causa ciuili, vt supra dictum est.

Respondeo Secundò, Canones illos etiam ad Iudices sæculares extendi posse, quando inquisitio solùm tendit ad punitiõnem delicti: tunc enim etiam præuia infamia requiritur. Quidam tamen putant illos in iudiciis sæcularibus, vel numquam moribus fuisse receptos, vel contraria consuetudine abrogatos.

Ad Secundam, Prohibemur quidem Iure naturæ inordinatè aliquem infamare, aut dare causam infamandi; sed negamus illos Iudices inordinatè id facere. sicut enim qui accusat aliquem de crimine occulto, quod testibus vel sufficientibus indicis probare potest, non infamat illum inordinatè: sic neque Iudex, qui ex denuntiatione informationes capit: nam habet iustam causam id faciendi, nempe vt criminosi non inualecant, vt innocentia in Republ. sit tuta, vt omnes securè & tranquillè degant. debet tamen Iudex vt magna prudentia, & habere rationem personarum, & donec videat an res probari possit, eo modo capere informationes, vt quàm minimum fama lædatur. vnde si videt eam probari non posse, debet desistere. Idem dicendum de fiscali, qui grauitèr peccat, si accusationem suscipiat, cuius probationem putat se defecturam.

Ad Tertium, Publicatio peccati alterius, maxime sæcularis, non est scandalizatio, quando sequitur punitio: sed cedit in exemplum toti populo. ideo crimina loco celeberrimo solent publicari, & castigari.

Ad Quartum, Patet ex dictis: neque deest hic accusator fictus, nam denuntiator iuridicè denuntians, habet vicem accusatoris, vel illud, quod Iudici viam ad inquisitionem aperit.

140
Modus
Prælati
Tum.

141

142

D V B I

DVBITATIO XVI.

Quibus modis aperiatur via Iudici, præsertim seculari, ad inquisitionem.

¹⁴³ **R**espondeo, Multis modis, de quibus iam ex parte dictum est supra. *Modi quibus via inquisit. aperitur.*

Primus est, Si delictum sit notorium, & auctor occultus, sed tunc solum potest inquirere generatim quis fecerit, vt supra dictum est.

Secundus, Si auctor sit notorius. Probatur autem aliquid esse notorium, per duos testes, vt docet Glossa in cap. Deus omnipotens. 2. q. 1.

¹⁴⁴ *Quomodo probetur fama.*

Tertius, Si sit fama de auctore. In hoc tamen & secundo casu Iudex primò debet capere informationes, an sit reuerà notorius auctor, vel an sit fama de illo. Ad probandum famam sufficiunt duo testes, vt omnes fatentur. hi tamen non debent testari se audiuisse à maiori parte populi, (vt vult Glossa in L. 3. §. Eiusdem. 7. de probationibus, quam plerique Iuris peritorum sequuntur) sic enim vix vnquam posset fama probari, ac proinde modus iste procedendi esset inutilis: quis enim est, qui cum maiore parte oppidi aut viciniae loquatur, aut aduertat se locutum? sed satis est vt testentur se ita publicè audiuisse, vel ita passim dici, vt docet Baldus in cap. Litteras. 14. num. 2. de presumptionibus, & alij, sicque passim seruatur, teste Claro quæstione 6. debent tamen nominare à quibus audiuerint; vt sciatur famam habuisse originem ab honestis & probis, & testes non fingere. vnde si non nominarent eos, non probarent famam in criminalibus.

Habita informatione de infamia, si infamatus est præsens, debet illum Iudex interrogare de veritate criminis, vt si fateatur, illum puniatur: sin minus, vt inquisitionem contra eum formet. si est absens, debet illum citare, & significare se intendere contra illum de tali crimine, de quo est infamatus, inquisitionem facere.

¹⁴⁵ Aduerte tamen, si Iudex absque informatione de infamia, processerit ad inquisitionem specialem, nihilominus valet processus, & potest reus condemnari: si tamen reus præsens non exceperit; vt colligitur ex cap. 1. & 2. de accusat. in 6. & docet Nauarrus n. 91. in Rubr. de Iudiciis. quòd si statim exceperit, & Iudice volente prosequi, appellauerit, non valet processus: quia per appellationem, Iudicis potestas suspenditur.

Quartus est, Si sit communis suspicio de auctore, de quo supra num. 130.

Quintus, Quando de aliquo sunt indicia iudicialiter probata. hæc enim cum pariant quamdam Iuris notorietatem; possunt pro infamia & fisco accusatore haberi; vt ait Nauarr. supra num. 78. & 96.

¹⁴⁶ *Semiplena probatio.*

Sextus, Quando est semiplena probatio: vt si crimen ipsum sit notorium, & accedat vnus testis omni exceptione maior, de auctore. non enim minus hæc semiplena probatio inducit auctorem in publicam notitiam, quam indicia probata, aut infamia. est enim plus quam infamia, cum fama non probet, vt dici solet, sed tantum accuset. vnde mirum est, Sotum & Nauarrum concedere de iudiciis, & negare de semiplena probatione. Confirmatur, quia nisi Iudices habita semiplena probatione possint inquirere testes, bona pars male-

ficiozum manebit impunita, cum testes non se sponte offerant.

Septimus, Si pars offensa querelam offerat, & indicia vel testes, à quibus informari possit, Iudici insinuet: tunc enim Iudex potest ab illis informationes de plano, vt dicitur, & absque strepitu accipere; quibus vbi satis instructus fuerit, poterit citare criminofum, & contra eum inquisitionis libellum formare. Ita Clarus q. 10. *Querela pars offensa.*

Octauus, Si publicus officialis, vel alius denuntiet iudicialiter, & testes vel indicia significet. de quo vide Clarum q. 7.

Aduerte tamen, nihil debere denuntiare, nisi quod bona fide putat legitime per testes vel indicia posse probari; vt supra dictum est.

Nonus, Quando pars impingit crimen testi, vt contra illum excipiat, & illud probat, etsi non omnino plene; tunc enim Iudex de eo inquirere potest, si ad eius iurisdictionem pertinet, vt docet Clarus q. 19. hoc enim est necessarium ad causam progressum: & aliàs illa probatio efficit illum publicè suspectum; vnde est instar infamiae.

Decimus, Dum quis intentat actionem ciuilem, vt sibi damnum sarciat ex delicto: vt, ex incendio, homicidio, vel furto illarum: tunc enim potest Iudex etiam contra illud delictum procedere; quia iam factum quasi notorium. Idem Clarus quæst. 19.

Vndecimus, Si delictum sit commissum in iudicio, vt supra dictum est.

Duodecimus, Si reus vel testis incidenter confessus sit in iudicio; Clarus q. 19.

Duo tamen Notanda. Primum est, In omnibus casibus, quibus potest Iudex procedere ex officio, posse constituere fiscalem, qui partes accusatoris accipiat; vt docet Gomezius to. 3. c. 1. n. 10. quod intellige, si aduocatus fiscalis ordinarius non sit constitutus. *148 Fiscalis.*

Alterum est, Non posse formari libellum inquisitionis contra reum, nisi legitima indicia præcedat, quæ sufficerent ad ipsum iuridicè interrogandum, si præsens esset; & è conuerso, dum præsens est, non potest iuridicè interrogari, nisi ad sint indicia, quæ sufficiant ad faciendam inquisitionem contra absentem. non enim procedendum est ad inquisitionem formandam, nisi quando reus citatus vt respondeat, vel negat, vel non comparet, vt docet Clarus quæst. 20. num. 3.

DVBITATIO XVII.

Ex quibus iudiciis possit Iudex reum subicere tortura.

Notandum Primò, Indicia à Iuris peritis generatim vocari omnia ea, ex quibus potest aliquo modo colligi quis sit auctor criminis; vt fama, suspicio publica, testimonium vnus vel plurius, confessio Rei, & similia. *149*

Notandum Secundò, Distingui quinque gradus indiciorum. In primo gradu sunt leuia, probabilia tamen, quæ probabilem suspicionem de auctore criminis commouent. In secundo sunt leuia probabiliora, quæ faciunt presumptionem, id est, valde probabilem suspicionem. In tertio sunt indicia grauiora, quæ & legitima & indicia Iuris vocantur. In quarto est probatio semiplena hæc

hæc enim amplius quid est, quàm indicium legitimum. In quinto sunt indicia grauiſſima, quæ & indubitata dicuntur.

150 *Captura.* Indicia primi & ſecundi generis ſufficiunt ad capiendas informationes, & etiam ad capturam, ſpectata conditione perſonæ & cauſæ, & ceteris circumſtantiis. huiusmodi ſunt, aſſertio vulnerati morientis, vt ſi dicat ſe à Petro vulneratum; grauis inimicitia præcedens; aſſertio ſocij, qua ſocium criminis detegit. hæc autem indicia non ſufficiunt ad formandum libellum inquisitionis cõtra aliquem, neque ad torturam, quia ad hæc requiruntur indicia grauiora; & maximè ad torturam, quæ eſt graue malum, quod ſine graui cauſa irrogari non poteſt.

151 *Tortura ſeu quaſtio.* Notandum Tertio, Torturam eſſe introductam non in pœnam criminis commiſſi; (hoc enim cùm nondum ſit plenè probatum, non poteſt puniri) ſed in ſubſidium probationis; vt quia ſufficiens & plena probatio deeſt, ipſe reus conſitendo veritatem, ſuppleat quod ad plenam probationem requiritur: vt docet Couarru. præſic. quæſt. quæſtione 23. ex communi ſententiã DD. & Clarus quæſtione 64. num. 6. Vnde ſequitur, torturam adhiberi non poſſe, niſi quando crimen eſt ſemiprobatum, vel quando vehementia indicia vrgerent, ita vt ferè moraliter certum ſit, ipſum auctorem eſſe. In hoc autem caſu eam adhiberi poſſe ad confeſſionem, eſt conſentaneum rationi naturali. ſi enim non poſſet, improbi audaçter & impunè peccarent, damna & iniurias alijs inferrent, quando putarent ſe teſtibus, vel externis iudicijs non conuincendos. cùm verò vident ex iudicijs vel vno teſte tormentis ſubiicendos, ſe continent. Accedit, quòd pleraque maleficia grauiſſima non poſſent puniri; quia paucis vel nullis conſcijs committuntur, cùm tamen id ad bonum Reipublicæ ſit neceſſarium: alioquin omnia ſceleribus & ſceleratis eſſent plena. Nec obſtat, interdum fieri vt innocens torqueatur, quia in rebus humanis non omnia incommoda vitari poſſunt. etiam interdum ſit vt innocens damnetur: non idèd omne iudicium tollendum. ſatis eſt ea media, eaſque cautiones adhiberi, quibus maiora vitentur, eſt iſſdem interdum minora præter intentionem eueniant.

152 *Reus conuictus non torquetur.* Notandum Quarto, Torturam tantummodò adhibendam in criminibus grauioribus, quæ pœna corporali, vt mortis, mutilationis, triremium caſtiganda ſunt, non autem in iis quæ exilio vel pecunia, vt docet Gomez. to. 3. c. 13. num. 2. Ratio eſt, quia reo nondum conuictò non poteſt irrogari pœna, quæ ſit maior quàm illa ad quam eſt condemnandus.

153 *Excipe duos caſus.* Notandum Quintò, Iudicem non poſſe reum ſubiicere torturam ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitimè eſt cõuictus per teſtes, etiam ſi nolit fateri crimen; vt rectè docet Nauarrus cap. 18. num. 59. & Clarus quæſt. 64. num. 8. ratio eſt, quia cùm tortura adhibenda ſit in ſubſidium, ob defectum plenæ probationis, fruſtra inferretur reo conuictò: quia confeſſio non eſt neceſſaria ad condemnandum.

Excipe tamen duos caſus. Prior eſt, quando reus malitiõſè appellat ad ſuperius tribunal, vt executionem iuſtæ ſententiæ impediatur: quod in Italia & regno Caſtellæ perimitur; ſi non ſint conſeſſi crimen; vt teſtatur Nauar. tunc enim ſi crimen eſſet atrox, vt latrocinium, ſacilegium, &c.

& expediret reum ibi puniri, poſſet torqueri ad eliciendam confeſſionem, vt iniqua appellatio impediatur.

Alter eſt, quando putatur habuiſſe ſocios, vel commiſſiſſe alia crimina; tunc enim etiam per torturam poteſt de his interrogari, moderatè tamen, pro ratione cauſæ & indiciorum. Ita ſeruat tota Italia & Francia, teſte Claro q. 64. nu. 8. debet tamen de illis eſſe ſemiplena probatio, vel indicia æquipollentia, vt ex ſupradictis colligitur. His poſitis

153 *Sufficit probatio ſemiplena.* Dico Primò, Ad torturam ſufficere ſemiplenam probationem, ſi tamen perſona talis ſit, vt torqueri poſſit. eſt communis ſententiã DD. teſte Claro l. 5. q. 21. n. 2. & Gomezio cap. 13. nu. 7. tunc autem eſt ſemiplena probatio, quando vnus teſtis, contra quem nulla eſt exceptio, deponit ſe vididiſſe hunc tali loco & tempore occidentem, v. g. Petrum; auferentem hoc vel illud è tali domo. quòd ſi non viderit, ſed audiuerit à fide dignis, aut ſi contra illum ſit aliqua exceptio, vt ſi ſit mulier, aut minor viginti annis, aut infamis, excommunicatus, inimicus, eius de poſitio non facit indicium ſufficiens ad torturam. Vnde grauius reprehendendi Iudices, qui ex tali indicio abſq; vllò alio probationis adminiculo torquent; quia Ius id illis non permittit: vnde iniuriam reo faciunt, & ad reſtitutionem damni ſecuti tenentur. ſufficit tamen tale indicium ad capiendas informationes de auctore criminis, vt habet praxis paſſim recepta.

154 *Quidam prohibentur torqueri.* Dixi, *ſe reus poſſit torqueri*: quia quidam Iure prohibentur torqueri, idque vel ob ætatem, vt impubes (id eſt, qui nondum impleuit quatuordecim annos) vel ob debilitatem, vt ſenes; poſſunt tamen hi terreri & leuiter torqueri: vel ob periculum abortus, vt mulier prægnans; quæ etiam poſt puerperium differenda eſt, donec vires confirmata; vel ob priuilegium, vt vir illuſtris: aut in dignitate conſtitutus, eiusque filij; & Doctor, eiutque liberi: & miles; de quibus Gomezius cap. 13. numero 3. & Clarus quæſtione 64. hi ne leuiter quidem torqueri poſſunt, etiam ſi ſemiplena probatio contra eos: niſi in hæreſi vel prodicione, vel ſimili crimine læſæ Maieſtatis. Si in alijs torti fuerint & conſeſſi, quamuis poſtredie confeſſionem ſuam ratificent, non poſſunt tamen condemnari; quia confeſſio fuit irrita, vt pote per iniuriam extorta, & conſequenter ratificatio, quæ ex illa ſequitur. colligitur ex L. pænultim. ꝛ. de quæſt. à paritate rationis, vbi dicitur, *confeſſionem factam in tormentis, non præcedentibus iudicijs, eſſe nullam, etiam ſi ſequatur ratificatio.* & ex L. Non dubium. 5. C. de Legibus; & ex alijs Iuribus, quæ citat Gomezius numero 4. Adde, neque ex huiusmodi confeſſione poſſe inquisitionem inſtitui, vt docet Nauarrus rubr. de iudicijs, nu. 86. poſſunt tamen ſecundùm Gomezium & alios Iuriſperitos, terreri verbis; & ſi conſeſſi fuerint, valer, tamquam confeſſio ſpontanea. Colligitur ex L. Item apud Labeonem 15. §. Quæſtionem. 41. ꝛ. de iniurijs; *Quæſtionem, inquit, intelligere debemus, & tormenta & corporis dolorem ad eruendam veritatem. nuda ergo interrogatio vel leuis territio non pertinet ad hoc edictum.* vbi Gloſſa & communiter Doctores ita tradunt.

Nec obſtat, Iure paria cenſeri torturam, & eius terrorem ſeu comminationem, argumento L. Nouiſſimè. ꝛ. Quod falſo tutore auctore: ac proinde talem confeſſionem huiusmodi comminatione elicitam, non eſſe validam cenſendam: illud enim de

de terrore propinquo intelligendum est; ut cum quis spoliatur & ligatur, ut patet ex d. L. Item apud Labeonem: non autem de remoto, qui in solis verbis & nuda machina ostensione sistit, ulterius nihil adhibens; quo casu Iura præsumunt illam fuisse spontaneam, ut colligitur ex L. L. allatis. Si tamen ex circumstantiis moraliter constet non fuisse reuerà talem, sed extortam per metum, ita ut metus fuerit causa confessionis illius, non est sufficiens ad condemnandum; nisi secuta fuerit libera ratificatio.

156 *Alia indicia ad torturam.* Dico Secundo, Præter semiplenam probationem, etiam alia quædam indicia minora quàm semiplena probatio, sufficiunt ad torturam: quorum præcipua sunt hæc.

Fama publica. Primum est, Fama publica de auctore criminis; præsertim si aliquibus aliis adminiculis iuncta sit, ut si ei accedat aliquis testis minus idoneus: ut assertio socij, vel minoris, vel si appareat vestigium facinoris in veste, armis, &c. Quidam putant solam famam sufficere, per duos testes probatam. Ita Gomez. num. 10. Sed verius est, regulariter famam non sufficere absque aliis indiciis, ut docet Clarus q. 2. l. nu. 1. ratio est, quia fama in criminalibus non probat, sed se habet in stat accusatoris: estque indicium remotum & fallax. deinde suppeditat Iudici aliam rationem cognoscendæ veritatis, nempe per inquisitionem.

Duplex fama sufficit. Aduerte tamen, si quis iam esset malæ famæ de similibus delictis antè commissis, & etiam publica fama grauaretur in præsentis delicto, hic posset torqueri, quia fama prior adiuncta posteriori, facit vehementem præsumptionem, ut ibidem Clarus docet.

157 *Confessio Rei extra iudicialis.* Secundum est, Confessio Rei extra iudicium. ut si apud aliquos (saltem apud duos) se iactauerit de crimine, vel dixerit se auctorem. est communis sententia DD. ut docet Felinus in cap. Olim. 25. de rescriptis. num. 5. & Gomezius supra, nu. 8. debet hoc tamen probari per duos testes omni exceptione maiores, si neget se dixisse: quia debet omnino de tali indicio constare, ut docet idem Gomezius num. 18. & 19. cum enim crimen ipsum non certò concludatur ex tali indicio, etsi de indicio constet, si ipsum quoque indicium dubium est, ita ut non constet an existat; æquitas non patitur ut quis propter illud torqueatur ad criminis eliciendam confessionem.

158 *Coram Iudice alieno.* Idem dicendum de confessione facta coram Iudice incompetente: id est, qui non habet potestatem cognoscendi in causa, eò quòd vel reus non sit ipsi subditus, vel causa sit exempta: etsi enim ex tali confessione reus non possit condemnari à proprio Iudice; (ut patet ex cap. At si Clerici, de Iudiciis) potest tamen torqueri, tamquam ex indicio, quod maximam præsumptionem criminis ingerit. debet tamen illa confessio non esse extorta metu tormentorum, sed metu probationum; vel omnino esse spontanea.

159 *Confessio ex ratu. iterata in tortura.* Quòd autem multi Iurisperiti cum Bartolo in L. 1. §. Diuus Severus. de quæstionibus, docent confessionem extraiudicalem ita valere ad torturam, ut si reus in tortura idem confiteatur, possit condemnari; etiam si postea non ratificet confessionem; verum non est, si de condemnatione ad pœnam ordinariam criminis intelligatur; quia confessio in tormentis, præcedentibus indiciis facta, semper requirit perleuerantiam & ratificatio-

nem: alioquin est nullius momenti, cum vi tormentorum cenfeatur expressa: quòd confirmatur, quia confessio illa non est efficacior, quàm semiplena probatio: atqui si quis torqueatur post semiplenam probationem, & in tortura confiteatur, adhuc requiritur ratificatio post torturam: ergo etiam in hoc casu. posset tamen ob huiusmodi confessionem extraiudicalem imponi aliqua pœna extraiudicialis; quia in iniuriam alterius visus est se de crimine iactasse, ut notat Abbas, & communiter DD. in cap. Quàm sit graue. 9. de excessibus Prælatorum.

Aduerte tamen, confessionem factam sacerdoti, tamquam locum Dei tenenti, ad obtinendam remissionem, nullum effectum operari ad torturam aut inquisitionem, aut ad vllam informationem, etiam si iniquus sacerdos eam patefaciat, & crimen deducatur in publicum, ita ut omnibus de eo constet, ut communiter docent omnes Theologi & Canonistæ, argumento cap. Si Sacerdos. 2. de Officio Ordinarij, & Baldus in L. Archigerontes. C. de Episcopali audient. ratio est, quia quòd pœnitens confitetur, non dicit vt homini, sed tamquam Deo ipsi, & iudicium planè diuinum exercet. vnde ita secretum manere par est, nec magis nocere debet, quàm si soli Deo dictum esset. patet consequentia, quia reuelatio eius, & quidquid ex vi istius reuelationis agitur, cedit in iniuriam Dei, cui tale secretum commissum est. Adde, quòd alioqui tantum Sacramentum, omnibus qui crimen occultum commiserint, suspectum redderetur, cum magna Dei iniuria, (qui illud securum esse voluit tamquam suum tribunal) & animarum pernicie. vide Sotum de secreto, membro 3. q. 1. conclus. 5.

Tertium indicium est, Assertio duorum vel trium sociorum. quando enim duo vel tres capti fatentur crimen, & produnt aliquem socium criminis, potest hic capi, & torturæ subici. Ita Clarus q. 2. l. num. 10. dicitque ita seruari in regno Neapolitano & Gallia. Debent tamen tunc cum iuramento deponere; quia agunt vt testes. hoc autem intelligi debet, quando non est iusta suspicio id ex malevolentia proficisci. Dictum vnus socij, etiam si iuramento confirmetur, non facit indicium sufficiens ad torturam, nisi alter simul infamia vel graui suspicione illius criminis laboreat; quia per se est testis minus idoneus; qui tamen cum fama potest vehementem præsumptionem parere. Ita Clarus numero 4.

162 *Quæstio exercita vt socij reuelentur.* Porro de socijs reus interrogari potest etiam per tormenta, quando constat vel fama est socijs habuisse, aut quando crimen est tale, vt regulariter sine socijs non committatur. tunc enim ob famam sociorum Iudici fas est de socijs exquirere. postulat hoc etiam bonum publicum, vt sic crimina compescantur. est communis sententia, teste Gomezio cap. 12. nu. 16. In hoc tamen casu consultissimum esset, vt reus antè condemnetur, & post sententiam disponatur per confessarium, vt reuelet sponte omnes socios, quos putat à maleficijs non abstenturos. sic enim ad socios eliciendos non erit magnis tormentis opus.

163 *Affirmatio læsi.* Assertio vulnerati persistentis in ea vsq; ad mortem, non facit indicium ad torturam, vt expresse habetur L. Si quis in graui. 3. ad S. C. Silianum. & ratio est, tum quia non dicitur iuratus, sicut debet testis dicere; tum quia præsumitur ex offensione aliqua vel errore dixisse. Sufficit tamen ad captu-

capturam & ad informationes capiendas, idque non tam Iure scripto, quam consuetudine, teste Gomezio cap. 13. num. 16.

164
Fuga. Quartum indicium est, Fuga statim patrato delicto inita. habetur expressè L. Lege Cornelia. 25. *ad S. C. Silanianum.* si tamen citatus compareat, abstergit omnem suspicionem. Crediderim tamen cum fuga coniungendam famam & communem suspicionem, ut ordinariè sit: alioquin fugam solam non sufficere. quod notatur in Additionibus ad Clarum qu. 21. num. 18: quòd si quis fugiat, cum videt de se capi informationes, vel dum citatur: talis fuga non est sufficiens ad torturam, ut tenet communis opinio, teste Claro n. 23. quia habet causam timendi, cum se peti videt, etiam si sit innocens.

Inimicitia. Quintum indicium est, Inimicitia grauis, non sola, sed cum aliis indicibus ex ea pendentibus, ut si ante minatus est, & minas suas solitus sit exequi; si parauit arma, & visus est circa illum locum eo tempore, quo homicidium putatur commissum. tenet Bartol. in L. final. 7. de quaestionibus, & alij Doctores passim.

Inconstansia Rei. Sextum est, Inconstantia & utubatio Rei, dum examinatur circa principalia causae, iuncta alijs indicibus, ut docet Clarus num. 30. sola tamen titubatio, ut solum mendacium, non sufficit. Spectanda etiam est conditio personae, & causae: quidam enim ita perturbantur in illo examine, ut vix sciant quid dicant.

Septimum indicium est, Si quis visus sit exire ex aliqua domo vel loco cum ense stricto, & ibi reperitur aliquis interfectus. Ita Gomezius n. 11. & multi Iuris periti, quos citat.

165
Si res apud reum reposita sit. Octauum indicium ad torturam est, Si res sublata, reperitur apud reum; nisi docere possit, unde eam habeat. Ita communiter DD. teste Gomezio num. 12. & Claro nu. 41. hoc tamen limitant DD. Si est persona vilis, & de qua non sit bona opinio, secus si sit bonae famae: nam interdum fieri potest ut res aliena sit apud nos, nescientibus nobis, & sine nostra culpa.

166
Reperitio delicti. Nonum, Si commissio aliquo magno furto, cuius nescitur auctor, aliqua vilis persona, quae ibi crebro versari solet, apparet repente diues: illis enim circumstantiis concurrentibus nascitur maxima praesumptio contra eam, quae sit sufficiens ad torturam, ut ex communi sententia DD. docet Gomezius num. 13. Haec ferè sunt praecipua indicia à Doctores explicata, ex quibus cetera prudenter aestimari poterunt. nam tota ferè haec res prudentiae Iudicis relinquatur, qui in re tanta magna circumspeditione procedere debet, ne proximo contra lus & fas torturam inferat, aut maiorem quam par sit.

167
Emissio sanguinis è corpore occisi. Petes Primò, Vtrum sit sufficiens indicium ad capturam & torturam, quòd recens occisus emittat sanguinem per vulnus ad praesentiam huius, & non ad praesentiam aliorum. Quidam affirmant: unde etiam aliqui Iudices eo indicio vtuntur, & deprehendunt eos culpabiles, quibus id contigit.

Sed contrarium tenendum est cum Gom. n. 15. quia hoc indicium est nobis incertum, utpote ex causis nobis ignotis. non enim constat an id fiat operatio diuina in detestationem homicidij, & ut sic homicida oculus patefiat an ex aliqua causa naturali, ut ex impressione aliqua affectuum animae in sanguinem & spiritum, quae ad praesen-

tiam rei inimicae veluti ad repugnandum concitatur; an fraude aliqua diaboli.

Idem dicendum sentio de probatione illa per aquam, qua Iudices aliqui feminas fortilegij suspectas, solent in aquam certo modo ligatas mittere: quae si mergantur, absoluuntur; si mergi nequeant, adiudicantur torturae, quasi hoc sit indicium sufficiens ad torturam: incertum enim est illud signum. nam si id opera demonis agitur, ut omnino agi videtur, incertum est an ille non permittatur aliquando hanc calumniam struere innocentibus. Itaque visitatis, & iam olim probatis indicibus vtendum est, ne in re proximo tam detrimetosa erretur.

Petes Secundo, Vtrum reus possit saepius torqueri.

Respondeo Primò, Si nihil confessus est, non potest saepius torqueri, nisi indicia sint grauisima: quia per illam constantiam videtur indicia elisa. Secundo, Si tamen noua indicia superueniant, repeti quaestio potest, ut habetur L. Vnius, 18. 7. de quaestionibus, in principio. Tertio, Si quae confessus in quaestione est, postmodum reuocet, verius est rursus subiici posse, etiam si noua indicia non superuenierint: quia per talem reuocationem indicia non sunt elisa; imò illa variatio nouum indicium videtur fecisse. Adde, si non possit repeti, totum hoc remedium esset sine vilo effectu. nam nemo ratificaret suam confessionem, si putaret in se non posse amplius quaestionem exerceri.

Aduerte tamen, ne in actu tam odioso procedatur absque termino, in hoc casu reum non debere subiici quaestionibus plusquam ter. Itaque si tertio tortus, & in tormentis confessus, tertio etiam ductus ad ratificandum, reuocauit, non potest condemnari, imò debet absolui, ut docet Gomezius num. 27.

Petes Tertio, Vtrum reus aliquando ex indicio possit condemnari?

Respondeo, Verius est non posse condemnari ad poenam ordinariam criminis; quia etsi violentissima inde capiatur praesumptio seu suspicio; (ut quando est indicium, quod Doctores vocant indubitatum) tamen non habetur certitudo; ut si quis visus sit facie pallida cum gladio cruento egredi è domo habente vnū tantum aditum, & ibi reperitur aliquis recens interfectus. fieri enim potest, ut alius fecerit: vel ut ipse quidem fecerit, sed causa defensionis. Item si constet aliquem decubuisse eodem lecto, & alia huiusmodi. In criminalibus enim debent esse probationes luce meridiana clariores, ut dici solet, & colligitur ex L. Absentem. 5. 7. de poenis. & docet Bartolus & alij in illam Legem. Posset tamen in eiusmodi euentu condemnari ad poenam extraordinariam minorem, prout Iudici videbitur, & causa postulabit: quod receptum esse testatur Clarus supra lib. 5. q. 21. nu. 40. vbi etiam dicit, in arbitrio Iudicis positum esse, talem vel graui quaestioni subiicere, vel poena extraordinaria punire.

Quod probari potest Primò, Quia Iure naturae ad puniendum reum non requiritur nisi certitudo moralis publica. atqui saepe ex indicibus vel semiplena probatione, praesertim quibusdam alijs adminiculis suffulta, potest haberi certitudo moralis; imò tanta quantà ex testimonio duorum: ergo poterit aliqua poena infligi, etsi non ordinaria, eò quòd desit illa probatio quam lus

positium ad pœnam ordinariam requirit.

Secundò, Quando quis laborat infamia criminis, & defunt alia probationes, nec expedit adhiberi inquisitionem propter scandalum, vt si persona sit Ecclesiastica vel grauis, potest ei iudici purgatio canonica, assignatis ei certis compurgatoribus, in qua ipse iuret se tale crimen non commisisse, & compurgatores iurent se credere illum verum dicere; vt habetur variis capp. tit. de purgat. canon. Et si non plenè se potuerit purgare, potest ei infligi pœna, sed minor quàm sit ordinaria, pro arbitrio Iudicis; vt docet Panorm. c. Accedens. 23. nu. 5. de accusatione. sed inde non habetur maior certitudo quàm ex vehementissimis iudiciis, vel probatione semiplena, præsertim quibusdam iudiciis adiuta. ergo poterit similis pœna irrogari.

Tertio, Sæpe ipsa iudicia culpam secum trahunt; quia non solum ab omni malo, sed etiam ab omni specie mali abstinendum, iuxta Apostolum. ergo vel ob culpam huiusmodi iudiciorum, pœna aliqua poterit irrogari.

Atque hæc sententia non solum apud regulares, vbi modus iuridicus non est tam strictè obseruandus; (vt cap. Qualiter & quando, sub finem insinuat) & crimina de quibus moraliter constat, non debent relinqui omnino impunita; sed etiam in foro sæculari & Ecclesiastico locum habet, vt Clarus & Panormit. supra; & alij qui ab his citantur, docent. quia æquitate naturali nititur, nec Iuri scripto repugnat, & consuetudini plerisque locis receptæ est conformis.

170 **C**odēmnatio ex iudicio ad pœnam ordinariam in 4. casibus. Exciipiuntur tamen à DD. aliqui casus à legibus approbati, quos refert Gomezus cap. 12. num. 25. in quibus Iudex potest aliquem ex iudiciis pœna ordinaria plectere.

Primus est, Si alicui ter denuntiasti, ne tuam vxorem alloquatur, & postea reperiat aliquo loco cum illa colloquens; puniri potest pœna ordinaria adulterij, vt habetur in Nouel. constitut. 117. Iustiniani, cap. 15.

Secundus est, Si Officialis fugit tempora syndicati: habetur enim pro confesso. L. Consiliarios. C. de assessoribus.

Tertius est, Si quis sit infamatus de simonia, & non possit se purgare, debet condemnari perinde ac si crimen esset probatum. cap. De hoc. 11. de simonia.

Quartus est, Quando aliquis Clericus deficit in purgatione hæresis, punitur vt conuictus, & depositus ab officio & beneficio; de iudicatur in Monasterium ad pœnitentiam. cap. Inter sollicitudines. 10. de purgat. canonica, in fine.

D V B I T A T I O X V I I I .

Utrum Iudex teneatur ad restitutionem heredibus Rei, si postquam præter ordinem Juris crimen vel extorsit, vel deprehendit, reum condemnet.

171 **R**espondeo & Dico Primò, Certum est, Iudicem teneri ad restitutionem, si condemnet non subditum, aut in crimine exempto. Probatur, quia facit ei manifestam iniuriam; etsi enim iste dignus erat morte, Iudex tamen ille non habebat auctoritatem illum puniendi: atqui ex iniuria na-

scitur obligatio restituendi, si ex ea damnum factum sit: ergo, &c.

Notandum tamen, si proprius Iudex, qui legitime poterat reum condemnare, ratum habeat seu approbet factum alterius, illum liberari obligatione restituendi. Ratio est, quia hoc ipso, quo Iudex proprius ratum habet alterius iudicium, vult illud ex hoc tempore ceteri tamquam à se factum; ac proinde liberat illum obligatione restitutionis. sicut enim Iudex poterat reum per se condemnare, si ad eum missus fuisset; ita poterat etiam alteri cognitionem causæ permittere, & factum alterius ratum habere, & approbare, quod ad substantiam operis attingit, & consequenter condonare obligationem restituendi, ortam ex defectu debita potestatis. Confirmatur; quia qui habet potestatem confiscandi & auferendi omnia bona tua ob crimen à te commissum, potest liberare obligatione restituendi eum, qui bona illa per iniuriam vastauerit: ergo similiter qui habet potestatem auferendi vitam propter crimen commissum, potest condonare obligationem restitutionis ei, qui per iniuriam illam abstulerit. hæc tamen intellige eo casu, quo Iudex proprius erat satis instructus ad illum condemnandum, & poterat alteri cognitionem committere. si enim ipse illum condemnare non poterat, non potest etiam condonare obligationem damni faciendi, quod ab altero per iniquam damnationem est illatum.

Dico Secundò, Etiam Iudex proprius, qui condemnat reum vel ex priuata scientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta, ad restitutionem tenetur. Ita Sorus de secreto, membro 3. qu. 1. concl. 5. Nauarr. cap. 18. n. 59. & alij. Ratio est, quia quando ex priuata scientia condemnat, facit iniuriam extortam reo, tamquam Iudex minimè competens: nam non est ei concessa talis auctoritas, nisi fortè rarissimo casu, vt dictum est supra dub. 11. Quando autem per iniuriam extorquet crimen, dat iniuste causam damni; vnde tenetur ad reparationem damni, quod ex illa cognitione iniuste parata sequitur. Sicut si quis occultum crimen alterius patefaceret, vnde contingeret illum condemnari, teneretur ad restitutionem, quia causam damni iniuste dedit.

Potest autem multis modis fieri vt per iniuriam crimen à Iudice extorqueatur, & consequenter vt confessio sit nulla, nec possit sequi condemnationem.

Primò, Si Iudex à seipso inquisitionem inchoet nulla præcedente infamia, aut denuntiatione iuridica, quæ viam inquisitioni aperiat, vt dictum est dubit. 15.

Secundò, Si tormentis vel propinquo metu tormentorum elicit confessionem, cum tamen non essent indicia idonea ad torquendum. Nec refert quòd confessio fuerit postmodò ratificata, quia hæc ratificatio est ex causa iniuriosa, ac proinde est nulla, L. Non dubium. 5. C. de legibus, & L. pœnult. 7. de quaestione.

Tertio, Si erant quidem indicia ad torturam, tamen persona non poterat torqueri, ob dignitatem, vel ætatem. Ratio est eadem, quia extorquet crimen occultum per iniuriam, de quo Gomez. cap. 13. num. 4.

Quartò, Si dolo induxit ad confitendum, v. g. promittendo impunitatem. paria enim sunt, confessionem esse factam dolo, & metu: vtraque enim

Proprius Iudex potest ratificare.

172 **C**odēmnatio ex priuata scientia, vel per iniuriam extortam.

173 **C**rimen per iniuriam multis modis extorquetur.

enim per iniuriam elicit, vt probat Gomez. c. 12. n. 6. & Clarus q. 55. v. Circa secundum.

Quintò, Si confugientem ad locum sacrum abstraxit contra Ius, tunc enim tenetur illum restituere in illum locum, nec potest vterius progredi, nisi legitime in eius potestatem deueniat. hoc tamen privilegio non fruuntur latrones publici, agrorum nocturni populatores, & qui in loco sacro enormia committunt, fiducia immunitatis. vide Siluestrum, v. Immunitas. 3. quæst. 2.

In his tamen & similibus casibus, Aduertendum est Primò, Si Iudici suppetebant alia rationes, ex quibus reum iniudicè damnaturus erat, vel damnare poterat, non tenetur ad restitutionem: quia solummodo in modo inferendi damni, iniuria commissà est, cum idem damnum alia ratione iuste posset inferre. Itaque cum ad ipsam substantiam damni inferendi ius habeat, non censetur iniuriam fecisse, nisi quoad modum; & consequenter non tenetur ad restitutionem damni quoad substantiam. Confirmatur, quia etiam si restitueret illi vitam ademptam, posset tamen illam alia ratione auferre, & sic restitutio esset nullius momenti.

Secundò, Quando error à Iudice contra Iuris ordinem commissus est in aliquo puncto, in quo Princeps supremus poterat dispensare, ita vt ipsemet Princeps posset sic procedere, si de causa illa cognouisset: (vt si tortus est miles, vel vit in dignitate constitutus) tunc potest Iudici remittere restitutionem; quia potest eius factum approbare, vt supra dictum est.

Tertiò, Quando Iudex contra Iuris ordinem procedendo, reum fecit crimen confiteri, omni modo curare debet, ne ei inde damnium sequatur; alioquin tenebitur ad restitutionem; nisi ratione supradicta excusetur.

Dices, Quid si Princeps patefacto iam crimine, omnino iubeat illum condemnari, po-

teritne Iudex inferior obedire?

Respondeo, Posse obedire; ratio est, quia hoc ipso, quo crimen patefactum est in iudicio absque iniuria, quæ à Principe processerit, & excepto casu reuelatæ confessionis, habet Princeps ius procedendi iuridicè contra criminofum confessum; maxime, si bonum publicum id postulet, vt si crimen sit atrox. etsi enim ex tali confessione non posset reus immediatè condemnari, eò quòd non videatur satis constare de delicto: tamen est iudicium ad inquirendum, si Princeps velit: quod confirmatur, quia si priuatus extorsisset ab aliquo confessionem criminis occulti, & illud patefaceret, posset Iudex contra talem procedere: etsi enim per iniuriam patefactum sit, non tamen id factum est per ipsum Iudicem, neque ipsius consensu: ergo similiter, si Iudex inferior extorsisset contra Iuris ordinem confessionem criminis atrocis in iudicio, posset Princeps, qui in hanc iniuriam non consensit, contra talem procedere: Si potest ipse procedere, potest etiam alteri causæ cognitionem committere: ac proinde etiam illi ipsi Iudici, per quem est patefactum. In hoc tamen casu, Iudex, qui illud iniquè extorsit, tenebitur ad restitutionem; nisi vel alia ratione potuisset iuste contra illum procedere absque fundamento illius extortæ confessionis, vel Iudex supremus possit condonare, & condonet. quando autem condonare possit, ante explicatum est.

Dices, Quomodo Iudex tenetur ad restitutionem, si potest illum condemnare mandato Principis?

Respondeo, Quia huic necessitati damnandi, causam dedit per iniuriam: sicut si ipse solus crimen sciens euulgaret, peccaret contra iustitiam infamando occultum peccatorem: crimine tamen euulgato, posset ex officio vt Iudex contra illum procedere: nihilominus tenebatur de damno inde secuto, cui per iniuriam dedit causam.

Tenetur ad restituere.

176

CAPVT TRIGESIMVM.

De Accusatore & Teste.

Constat Dubitationibus 8.

D. Thomas q. 68. & 70.

DUBITATIO PRIMA.

Quid sit accusatio, & quas requirat solemnitates.

RESPONDEO & Dico Primò, Accusatio proprie est delatio Rei de crimine, ad vindictam publicam libello facta. Ita Siluester, ex Azone. Fines accusationis est vindicta publica ad exemplum populi, vt omnes ab huiusmodi criminibus sibi caueant.

Dico Secundò, Ad eam Iure communi requiruntur sex. Primò, vt fiat in scriptis. Secundò, vt exprimat dies & annus, quo intentatur. Tertiò, Nomen accusatoris & accusati. Quartò, Species delicti. Quintò, Locus & etiam tempus, nempe annus, & mensis, quo delictum commissum est. Sextò, Inscriptio accusantis, colligitur ex L. Li-

bellorum, 3. §. 1. 7. de accusationibus, vbi in formula hæc omnia ponuntur, & deinde additur, Quod si libelli in scriptis non legitime ordinati non fuerint, Rei nomen aboletur, & ex integro repetenda reum potestas erit, quibus verbis vult hæc ita pertinere ad formam accusationis, vt si ommissa fuerint, totus processus sit irritus, & accusator damnandus sit in expensas: quamuis ius habeat rursus de nouo hanc accusationem instituendi.

Primum requiritur, tum vt constet quid præcisè accusatori sit probandum; tum vt in eo non possit quidquam mutare, si forte viderit se probare non posse. consuetudine tamen receptum est, vt possit fieri verbaliter, modo Notarius eam statim in scriptum redigat; vt notat Clarus qu. 12. nu. 7.

Ratio cur singula requirantur.

Kk 2

Secun-

174
Si alia ratione poterat reum damnare, non tenetur ad restituere.

175
Si Princeps iubeat reum pleari.